MEMORABILIA

SOCIETATIS IESU

VOLUMEN II

FASCICULUS II — ANNO 1925

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

ROMAE
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS
1927

TABULA RERUM

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII ANNO 1925

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

APPENDIX

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

ANNO 1925

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

I.

Mart. – iun. 1925.

Reverendi Patres Fratresque in Xto. carissimi :

P. Xti.

Gloriosi, qui Romae recens contigerunt, eventus, licet per summa saltem capita noti iam vobis sint, certo tamen certius ea singulatim agnoscere peroptatis, quippe qui Societati universae tanto solatio fuerunt.

Quod quidem praestare sataget haec mea epistola, complenda tamen per documenta pontificia quae, alio libello contenta (1), simul cum hisce litteris ad omnes Societatis domos mittuntur. Optabamus sane magis tempestive hoc vobis praebere spirituale solatium, sed Bulla canonizationis S. Petri Canisii proximis demum diebus vulgari potuit.

De titulo Doctoris Canisio conferendo.

1. – Ut vobis profecto compertum est, die 29 martii sollemniter Decreta lecta sunt de canonizatione B. Petri Canisii. Tres antea praecesserant Sacrorum Rituum Congregationes, Antepraeparatoria (21 octobris 1924), Praeparatoria (3 februarii 1925) et Generalis coram Summo Pontifice (24 martii 1925); in qua, id quod rarissime fit, discussum quoque est dubium : " *utrum tuto procedi possit* „ de quo in diversa Generali Congregatione agi consuevit. Iamvero Patri Nostro verba facienti, nomine etiam Carmelitarum Patrumque a Domini Passione nuncupatorum (legebantur enim eodem tempore Decreta de B. Teresia ab Infante Iesu et de Ven. Vincentio Strambi), Beatissimus Pater pulcherrimo sermone respondit, praeclara dictitans de Religiosorum vita, ac nominatim de B. Petro Canisio, cuius diserte magnificavit doctri-

(1) Cfr. *Acta Rom.*, V (1925), pp. 175 sqq.

nam et in scribendo apostolatum (1). Quae Pontificis verba in nobis omnibus, ac praesertim in Patris Nostri animo, spem iucundam firmarunt quamprimum, ac forte in ipso canonizationis actu, obtineri posse, ut B. Canisius universalis Ecclesiae Doctor declararetur. Iamdiu enim plurimae pervenerant litterae postulatoriae Cardinalium, Episcoporum, Religiosorum Ordinum, Theologicarum Facultatum, perillustrium virorum; aliae expectabantur: nec solum ex Germania, Austria, Hollandia, Helvetia mittebantur, sed etiam ex Italia, Gallia, Hispania, America, aliisque regionibus, adeo ut P. Generalis, virorum ecclesiasticorum auctoritate praestantium consilio peculiarique Pontificis benevolentia atque aliqua etiam eius significatione motus, ipso Paschatis die, 12 aprilis, supplices ad Sanctam Sedem preces mittendas censuerit, quibus totius Societatis nomine expostulabat, ut B. Petrus Canisius, dum *Sanctus* declarabatur, etiam Ecclesiae *Doctor* simul ediceretur. Quadraginta tantum deerant dies, atque ad haec S. Rituum Congregatio magno paene obruebatur labore ob tam multas instantes beatificationes et canonizationes. Attamen, ex manifesta Pontificis mente, Canisii Doctoratus causa peracta est in S. Congregationis conventu die 19 maii, duobus tantum diebus ante ipsius Beati canonizationem. In diem illum Postulator generalis " *Positionem* „ paraverat, quae, praeter Patris Generalis supplices preces, suffragia continebat duorum theologorum, qui ex officio selecti fuerant, ut quaestioni propositae studerent. Duo hi eximii Romani theologi fuerunt R. P. Eduardus Hugon, Ord. Praed., Collegii Angelici Viceregens et Professor, et R. P. Dom. Franciscus de Wyels, Ord. S. Ben., Vicerector et Professor in Collegio S. Anselmi. Ambo plene consentiebant in admiranda laudibusque extollenda B. Canisii ampla profundaque doctrina, eiusque operum multiplicitate atque magnitudine; et, quod pluris est, una affirmabant eum dignum profecto esse, qui Ecclesiae Doctor appellaretur, et hoc titulo in ipso canonizationis actu honestaretur. Claudebatur " *Positio* „ quibusdam ex litteris postulatoriis theologicarum praesertim Facultatum: Lovaniensis, Bononiensis, Salmanticensis, Parisiensis, similium. Quibus addi merito potuerant, quamquam brevitatis ergo illic non referebantur, litterae R. P. Ludovici Theissling, Magistri Generalis Praedicatorum (ipsius in Societatem ingentis benevolentiae postremum pignus, cum non

(1) Cfr. *Acta Rom.*, V. (1925), pp. 186-194.

multo post supremum diem obierit) et litterae Ministri Generalis PP. Capuccinorum. Scripta haec typis mandata atque omnibus Sacrae Rituum Congregationis Cardinalibus eiusdemque Consultoribus distributa, mirum quantum eos iuverunt, ut propositae quaestioni certum nec temere responsum darent. Quod quidem die 19 maii Sacra Rituum Congregatio unanimi consensu edidit, decernens: *B. Petrum Canisium Ecclesiae Doctorem tuto declarari posse.*

Tria consistoria ante canonizationem.

2. – Omnia interim ad proximam canonizationem rapide disponebantur; quae, etsi similibus causis communia, iuvat hic ex ordine breviter perstringere in illorum commodum, quibus nunquam iis interesse licuit. Itaque die 30 martii Beatissimus Pater Consistorium habuit secretum, in quo, postquam de vita et causa sex Beatorum inter Sanctos adscribendorum Emus. Card. Antonius Vico, S. Rituum Congregationi Praefectus, brevi locutus est, adstantium quisque Cardinalium de propositae canonizationis opportunitate atque convenientia suffragium tulit. Die 2 aprilis Summus Pontifex, adstantibus in publico Consistorio aliis quoque Praelatis et ingenti multitudine, iterum coegit Purpuratos Patres, qui post sex Advocatorum Consistorialium perorationes, iterum rogati sunt, ut de singulis Beatis Sanctorum Albo adscribendis sententiam edicerent. Denique die 22 aprilis in tertio Consistorio, quod semi–publicum appellant, quia intersunt etiam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates Romae degentes, sed arcetur populi concursus, interrogationes denuo factae, omniumque adstantium suffragia exquisita sunt. Cui quidem Consistorio ut adessent, praeter omnes Cardinales de Curia ceterosque Cardinales diebus illis in Urbe morantes, per decretum S. Congregationis Consistorialis iussi antea fuerant omnes quoque Episcopi Romae domicilium habentes atque ii qui intra centum millia passuum ab Urbe degunt; alii vero Episcopi omnes totius orbis invitati erant. Aderant igitur triginta circiter Cardinales, et centum fere Praelati, quos inter RR. DD. Ludovicus Van Hoeck S. I. (Prov. Belg.), Episcopus Patnensis apud Indos.

Invitati et hospites Nostri.

3. – Ultimis diebus lucta quaedam fuit, pacifica ea quidem, sed vera lucta ad tesseram pro canonizationis sollemnibus acqui-

rendam, sine qua, quotiescumque Summus Pontifex in S. Petri descendit, nemo in Basilicam Vaticanam ingredi potest.

Haec porro, longe maximum totius orbis templum, immensa profecto est; at sollemnibus hisce diebus magna eius pars vel innumero comitatui religiosisque ritibus reservatur, vel ita sita est, ut nihil inde prorsus cernere liceat. Maximus igitur numerus tesserarum, quae fidelibus distribuantur, ad triginta circiter millia ascendere potest. Quodsi animo perpenditis quam plurimos tunc peregrinos fuisse, praesertim e Germania, Austria, Hollandia, Helvetia, Gallia, America, iis vero ante alios, diserto Pontificis iussu, provideri debuisse, profecto non mirabimini, si legitimis multorum desideriis fieri satis non potuit. Immo et Nostri etiam, quibus sane quam optime consulere optabatur, rogari debuerunt ut in secundi ordinis loca se retraherent, primas vero sedes cederent iis qui ex officio personam agebant Friburgensium, Vindobonensium, Batavorum, Germanorum, similium, quos inter aderant Nobilis Vir Carolus Ruiss van Beerenbrouck Praeses Consilii Ministrorum regni Hollandiae, ex-cancellarius Germaniae Doctor Marx, ex-cancellarius Bavariae Doctor Wirth, facultas theologica Vindobonensis, complures deputati e Consilio Friburgensi in Helvetia cum suo Praeside Dño Delaterra aliique perinsignes viri. Hi autem in eodem suggestu locum habuerunt, in quo Pater Noster cum PP. Assistentibus et omnibus Romanis Superioribus aderat, et quidem ita ut illi prima subsellia occuparent; quod animadvertentes nonnulli prudentissimi ac summae auctoritatis viri multum laudarunt. E Societate autem praeter eos, qui alicui peregrinationi addicti erant, Patris Nostri invitatu advenerant: RR. PP. Bernardus Bley, Theobaldus Fritz et Franciscus Sal. Hatheyer, Praepositi Provinciales Germaniae Inferioris et Superioris et Austriae; P. Franciscus Bejisens, nomine Praepositi Provincialis Neerlandiae; P. Constantinus Kempf (Prov. Germ. Inf.) et PP. Fridericus Schiefer (Prov. Germ. Inf.) et Ioannes Bapt. Metzler (Prov. Germ. Sup.), qui de cultu erga B. Petrum Canisium tota Germania dilatando optime meriti erant; P. Iosephus Metzger, Praepositus Domus Professae Vindobonensis (Prov. Austr.); P. Iosephus Donat, Canisiani Convictus Superior Oeniponte (Prov. Austr.); P. Bernardus Cohausz, Rector Scholae Canisianae Buffalensis (Prov. Maryl. N. E.); P. Franciscus Xaverius Melzer, Rector Collegii Mariascheinensis (V. Prov. Cechosl.); et Fr. Petrus Schmitz, Scholasticus (Prov. Germ. Inf.), cuius resti-

tuta per intercessionem B. Petri sanitas unum est ex duobus miraculis a Sacra Congregatione probatis.

Canonizationis apparatus et pompa.

4. – Illuxit tandem laetissimus dies 21 maii, Ascensioni Domini sacer. Qui nondum viderit quid Romae accidat canonizationum diebus, haud facile animo effingere potest ardentissimum desiderium, quo a summo mane, priusquam sol sua luce collustret peramplam S. Petri aream, magna gentium multitudo undique ad eam convolat et invadit et ad suum quisque locum accedere nititur. In externo Basilicae peristylo amplum agitabatur aura vexillum, B. Petri Canisii gloriam exprimens. Sub porticu in maxima ianua haec legebatur P. Laurentii Rocci (Prov. Rom.) inscriptio:

PETRUS CANISIUS S. I.
POSTQUAM AD SACROS PETRI CINERES
CHRISTUM HUMANA SPECIE CONSPICUUM
AC DIVINUM COR OSTENTANTEM VENERANS
SIBI AD PRAECLAROS RELIGIONIS FRUCTUS
CAELESTEM OPEM AUDIVERAT ALLATURUM
GERMANICAS REGIONES PERAGRAVIT OMNES
REM CATHOLICAM CONTRA NOVOS ERRORES
VOCE SCRIPTIS EXEMPLOQUE VIRTUTUM
STRENUE DEFENDIT AUXIT PROMOVIT
ALTER A S. BONIFACIO
GERMANORUM APOSTOLUS NUNCUPATUS
HODIE AD EOSDEM PETRI CINERES
UT MILES VICTOR TRIUMPHI LAURO DIGNUS
PII XI P. M. ORACULO
SUPREMIS CAELITUM HONORIBUS DECORATUR.

Ad pontificii Altaris cornua ingentibus stragulis depictum patebat utrumque approbatum miraculum: Sororis Ignatiae Walburgae Schneller sanatio ab intestinali tubercolosi, ac repentina liberatio Fratris Petri Schmitz S. I. a sepsi seu sanguinis corruptione.

Hora 8 initium fit perlongo splendidoque comitatui qui ex Aedibus Vaticanis Christi Vicarium in Vaticanam Basilicam descendentem praecedit atque sectatur: per sesquihoram et amplius sacra pompa perduravit, in qua tota catholica hierarchia ac pon-

tificia Curia repraesentabatur. Anteibant Ordines Religiosi Mendicantium, Monachorum, Canonicorum Regularium; ex peculiari concessione, Nostrorum plerique sequebantur, praesertim Scholastici et FF. Coadiutores, deinde plurimi alumni e Collegiis Germanico-Hungarico et Pio Latino Americano, quod utrumque Societati commissum est; cetera postea incedebant Collegia Ecclestastica, Seminaria, Parochi Romani, Canonici Ecclesiarum Collegialium, Clerus Basilicarum minorum, Collegia trium Basilicarum Patriarchalium, Vicariatus Romanus, S. Rituum Congregatio; omnes candelam accensam manu ferentes. Magnum deinceps sequebatur novi Sancti vexillum quod altera ex parte eius gloriam exhibebat, ex altera vero ipsius cum S. Stanislao Kostka occursus scenam periucundam; praeibant sexe Nostris cum intorticiis accensis, sex alii (quorum quatuor Praelati ex variis Dioecesibus nexu quodam cum novo Sancto coniunctis) vexillum circumdabant ac pendentes ex eo vittas sustinebant, dum sex robusti SS.mi Sacramenti confratres vexillum ipsum efferebant. Quo quidem Basilicam innumeris lampadibus electricis mirifice collustratam ingrediente, subita peringentem turbam laetitia pervasit, quae in iteratos reverentiae et obsequii plausus erga novum Sanctum erupit. Penes vexillum ex ordine accedebant Cappellae Pontificiae membra: Cubicularii secreti, Cappellani, Praelati Auditores Rotae, aliique; Subdiaconus Apostolicus cum Diacono et Subdiacono graecis; Poenitentiarii Basilicarum cum virgis; deinde Praesules sacris vestibus induti mitraque ornati: Abbates, Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchae, Cardinales Diaconi, Cardinales Presbyteri, Cardinales Episcopi, denique Summus Pontifex in sella gestatoria, pluviali ac mitra velatus, sub umbella ditissima, sinistra manu cereum tenens, dextraque populo benedicens.

Ipsius in Basilicam ingressus, vix atque argenteae tubae festivis clangoribus laetum illius nuncium edicunt, talem semper animorum excitat aestum, qui describi non potest: omnis multitudo ultroneo indomitoque motu plaudens, acclamans Iesu Christi Vicario, omnibus quibus potest modis, fidem obsequium, venerationem profitetur.

Ritus canonizationis.

5. – Ubi vero maximus Pontifex ad thronum qui in extrema abside Basilicae sub S. Petri cathedra erectus est, pervenit, sollemnis initur canonizationis ritus. Eminentissimus Card. An-

tonius Vico, canonizationum Promotor, per Advocatum Consistorialem Augustum Milani, ad pontificium thronum accedit atque ter: *instanter*, *instantius*, *instantissime*, petit B. Petri Canisii supremos honores. Quibus supplicationibus RR. DD. Nicolaus Sebastiani, a secretis Litterarum ad Principes, Pontificis nomine respondet: primae quidem, auxilium e caelo adhuc expostulari debere, iniungitque ut *Litaniae Sanctorum* devote canantur; alteri, Sancti Spiritus lumen esse implorandum, et praecinente Pontifice, hymnum " *Veni Creator* „ concinunt universi; tertia denique peracta petitione, Sanctissimus Dominus per eundem Secretarium declarat suam iam esse mentem definitivam sententiam pronuntiare. Tunc omnes Cardinales, Episcopi, Clerus, omnisque multitudo reverenter stant, Petrum in Pio loquentem audituri. Summus vero Pontifex in cathedra cum mitra sedens, ut Magister et Pastor universalis, clara firmaque voce *decernit* atque *definit* (ipsius sunt verba) *Beatum Petrum Canisium* esse *Sanctum*, et ut talem ab omnibus esse venerandum. Ex Sacrae insuper Rituum Congregationis consulto illum constituit ac declarat universalis Ecclesiae Doctorem, eius festum statuens die 27 aprilis, pro die eius natali 21 decembris, ubique quotannis celebrandum. – Megaphonici apparatus, in Basilica perapte dispositi, adstantium multitudini magnum praebuere solatium audiendi ad verbum decretoriam Christi Vicarii sententiam; qua prolata, quotquot aderant manibus plauserunt, vocem quidem comprimentes, at simul sensibili quodam modo gaudium palam demonstrantes ob magnum canonizationis eventum. Eodem gestientibus animis gaudio universus populus cantui " *Te Deum* „ consociatus est; dum Romanorum omnium templorum aera campana per semihoram laetissimum nuncium Urbi et Orbi renuntiabant.

Una autem eademque sententia B. Petrum Canisium *Sanctum* simul et *Doctorem* declaratum esse, res sane insueta fuit, quam profecto debemus cum altissime agnitioni et aestimationi quam de B. Petri Canisii operibus ac meritis habet Summus Pontifex eiusque desiderio donandi toti Europae Centrali suum Doctorem et Patronum, tum insigni Beatissimi Patris erga Societatem benevolentiae. Ad extremum usque, huius rei paucissimi certiores erant; adeo ut, Pontificis verbis auditis, nonnulli ex Episcopis etiam, immo vel inter Purpuratos Patres (non omnes enim ad S. Rituum Congregationem pertinent) gratam suam admirationem abscondere minime potuerint; sacrisque functionibus absolutis,

Patri Nostro ac Societati universae ex corde gratulari voluerunt. Et re quidem vera, postremis hisce saeculis, nullum exstat huiusmodi coniunctionis exemplum, quamvis nulla sacrorum Canonum lege prohibitae: referunt tantummodo, S. Bonaventuram in ipsa canonizationis Bulla a Xysto IV Doctorem appellari; sed S. Petri Canisii casus, praesertim ob sollemnem modum quo nunc gesta res est, longe differt. Ceterum Deo grati quam maxime simus, Sanctaeque Sedis tam benignae erga nos voluntati factis respondere nitamur.

Missa Papalis

6. – Caeremoniis canonizationis absolutis horaque Tertia cantata, incipit sollemne Sacrum Pontificale. Longum est singillatim persequi augustissimos ritus, quorum nonnulli unius sunt Pontificis Summi: uti Epistolae et Evangelii cantus duabus linguis latina et graeca; Hostiae et Calicis elevatio erga quatuor cardines terrae, dum e summo tholo argenteae tubae suavissimo piissimoque concentu sonant; sacra Communio, quam in throno, non autem ad altare, Pontifex sumit, pretiosissimum Sanguinem aurea fistula hauriens et sacram utramque speciem Diacono et Subdiacono porrigens, atque id genus alia. Pontifici ad altare aderant: Cardinalis Caietanus De Lai, Sacri Collegii Subdecanus, Episcopus Assistens; Cardinalis Franciscus Ehrle S. I., Diaconus; RR. DD. Iosephus Florczak, Auditor Rotae Polonus, Subdiaconus; ad thronum vero Diaconi Assistentes erant Cardinales Caietanus Bisleti et Camillus Laurenti. Post Evangelium, Beatissimus Pater homiliam, in *Actis Apostolicae Sedis* iam editam et vobiscum nunc communicatam (1), legit, eximia S. Petri Canisii merita edicens, ob quae Doctoris titulo iure est decoratus, et momenta exponens, quibus cuncta Ecclesia ob tanti viri glorificationem et gaudio exsultare et nova spe recreari debeat. Oblationes autem quae post "*Credo*" fieri solent, cuiusmodi sunt panis, vinum, aqua, cerei, columbae, turtures aliaeque aviculae in caveis affabre decoratis inclusae, sollemni pompa, ut moris est, Summo Pontifici in throno sedenti exhibuere E.mi Cardinales Vico, Granito di Belmonte, Frühwirt O. P. et Billot S. I., atque Pater Noster et P. Assistens Germaniae cum P. Aureliano Fajella Postulatore et PP. Augustino Bea et Michaele d'Herbigny ac Fr. Schol. Pe-

(1) *Acta Rom.*, V (1925), pp. 203 sqq.

tro Schmitz, quem miraculo ab ipso B. Petro Canisio sanatum superius commemoravimus. – Pontificali Sacro peracto, Beatissimus Pater, tiara seu triregno redimitus, ut antea venerat comitatus, inter fideles quam maxime ovantes in Vaticanas Aedes iterum ingressus est: hora erat post meridiem prima cum dimidio. Persollemni ritui interfuerant Purpurati Patres triginta, centum circiter Praesules (tres Patriarchae, viginti Archiepiscopi, septuaginta Episcopi, duodecim Abbates), e quibus unus tantum de Societate, RR. DD. Tiburtius Franciscus Roche (Prov. Tolos.), Episcopus Tuticorinensis in Indiis. – In suggestu Familiis Principum assignato, aderant Philippus Albertus Dux Wurtembergensis et Maria Immaculata e Principibus Saxoniae cum duabus neptibus.

Primi honores et sollemne triduum.

7. – Eodem die vespere, in templo nostro SS. Nominis Iesu, magnificus habitus est conventus peregrinorum germanorum, quos allocutus est E.mus Card. Schulte, Archiepiscopus Coloniensis, Eucharisticam vero Benedictionem impertivit E.mus Card. de Faulhaber, Archiepiscopus Monacensis. Templum intus, sub noctem vero etiam eius facies tota, electricis luminibus mire dispositis collustrabatur. Quae pulcherrima illuminatio tribus continenter diebus renovata est, quibus triduana sollemnia celebravimus in honorem novensilis Sancti. Plurimi hac occasione sacerdotes Sacris operaturi ad SS. Nominis Iesu accesserunt, ita ut tercenta circiter Sacra per illos tres dies peracta fuerint. Primo die sollemnia Pontificalia egit E.mus Card. Schulte, concentus musicos exsequente *Schola Cantorum* Cathedralis Coloniensis; duobus vero sequentibus diebus Sacra sollemniter fecerunt RR. DD. Marius Besson, Episcopus Genevensis, Lausannensis et Friburgensis, et RR. DD. Diepen Episcopus Buscoducensis (Bois-le-Duc) in Hollandia, in cuius Dioecesi Noviomagum iacet, quae urbs novo Sancto patria fuit. Orationes vero panegyricas habuere RR. DD. Carolus Salotti, Subpromotor Generalis fidei et S. Rituum Congregationis Adsessor, RR. DD. Laurentius Janssens O. S. B., Episcopus tit. Bethsaidensis, ac denique RR. DD. Besson, Episcopus, ut diximus, Friburgensis. Ingens adfuit fidelium concursus, ultimo praesertim die 24 maii, qui dominicus fuit. Cantui " *Te Deum* „ atque Eucharisticae Benedictioni quam E.mus Card. Vico impertitus est, plurimi e Nostris superpelliceo induti cereosque ferentes interfuerunt, omnes nostras

Romanas Domos repraesentantes. Eodem die Collegii Germanici alumni in Sancti recentis obsequium, qui magnus huius Collegii promotor extitit et benefactor insignis, academiam musico-litterariam instituere voluerunt, quam quibusdam adstantibus Episcopis aliisque non paucis invitatis, feliciter exsecuti sunt.

Beatissimus vero Pater, pluries illis diebus peregrinos alloquens, magnam nobilemque Canisii imaginem eorum menti obiecit, signa luculenter edisserens, quibus ille exhiberi consuevit: Rosarium, catechismum, calamum. Peregrinis autem Bavariensibus in canonizationis pervigilio spoponderat Se in ipsa calice usurum esse, quem tunc Ei dono laeti praebuerunt.

Festa ubique peracta.

8. – Non vacat hic omnes alios singillatim persequi honores, qui S. Petro Canisio sive Romae in templo germanico nationali S. Mariae de Anima, sive alibi, tributi sunt. Pulchrae iam ad nos relationes perveniunt de festis, academiis, aliisque laetitiae signis quibus Societas, toto orbe diffusa, primum suum Ecclesiae Doctorem salutat magnisque laudibus efferre studet.

Societati vero adhaerent amici, alumni, fideles omnes, ad quos sacri Nostrorum ministerii pervenit influxus. Peropportune etiam statutum erat, ut maiorum nostrae Societatis periodicorum Directores Romam convenirent, quo tempore canonizationes agebantur; ita illis B. Petri Canisii canonizationi interesse atque de eadem scribere licuit in libellis periodicis cum illa peritia, sedulitate, sanctoque animi ardore, quibus ornari nequeunt nisi eorum scripta qui propriis visa oculis enarrant.

In primis certe habent cur gaudeant atque exultent, Germania, Hollandia, Helvetia, quae S. Petro Canisio tot tantaque beneficia debent; quibus insuper peculiari de causa vehementer laetandum est, quippe quae conatus suos exitu praeter expectationem felici cumulatos aspiciunt. Etenim in Neerlandia et Helvetia iampridem, ultimis vero temporibus praesertim in Germania, foventibus Nostris, quos inter mentione peculiari dignus est P. Fridericus Schiefer (Prov. Germ. Inf.), media omnia adhibita sunt, ut hodiernus pararetur triumphus: nam de B. Canisio centies centena millia imaginum, librorum, numismatum, in Rosaria quoque B. M. Virginis insertorum, passim sunt distributa. Nulla praetermittebatur occasio beneficia et merita B. Canisii in memoriam revocandi, populosque ardenter impellendi, ut ipsius

Beati patrocinio plurimum confiderent. Aliquoties preces etiam novendiales statutae sunt, uno eodemque tempore in tota Germania ad gratias peculiares obtinendas peragendae. Providentissimus Deus, qui cuncta sapientissime regit, his profecto non indiget: at pariter certum est ex ipsis Providentiae viis humanam etiam cooperationem requiri. Quare iure dici potest sine huiusmodi animi ardore atque constantia non adeo cito duplicem fidelis Dei Servi magnique Apostoli Germaniae triumphum a Deo obtinendum fuisse. Haec porro cogitatio aliis quoque incitamento sit, ut simile quid opere exsequantur, ad supremos Sanctorum honores procurandos Nostris Beatis ac Venerabilibus: B. Roberto Bellarmino, B. Andreae Bobola, Ven. P. Claudio de La Colombière, Ven. P. Iosepho M. Pignatelli, aliisque bene multis; quod magno Dei obsequio, magnoque Societati atque operibus nostris emolumento foret.

Oblatio Reliquiarum Summo Pontifici.

9. – Huic finem argumento ponam Reliquiarum novi Sancti oblationem memorando, quas Beatissimo Patri die 13 iunii Pater Generalis praebuit. Pulchre paratum erat argenteum reliquiarium, exhibens aram sub qua Friburgi corpus S. Petri Canisii honoratur. Quod splendidum opus cum Pater Noster Pontifici offerebat, summopere Hic Sibi probari fassus est, subiungens illud sane libenter Sibi retenturum esse; ast tradendum iam promisisse E.mo Card. de Faulhaber instantissime id petenti pro Monachio in Bavaria. " Ceterum — inquit Pontifex — optime excipientur illic hae reliquiae, maximoque colentur honore, et iustum quidem est Monachii pulchram huius Sancti servari memoriam, qui ibi ac praesertim in Societatis templo adeo adlaboravit „. Et de novo Ecclesiae Doctore alloqui prosecutus, in memoriam revocavit aliquorum admirationem, quia Canisium scriptorem non agnoscerent. " At ille, aiebat Beatissimus Pater — hunc titulum merebatur, non minus profecto quam quidam alii Sancti iam Doctores declarati „. " Haec tamen admiratio — addebat — necessitatem ostendit illico parandi novam perfectamque omnium operum Canisii editionem „. Quod quidem facere statutum iam esse Pater noster respondit, seque hac de re cum Praepositis Germaniae Provincialibus iam egisse.

Acta beatificationis MM. Canadensium.

10. – At vero clementissimo Deo non satis fuit dono Societati nostrae dare decimumquartum *Sanctum* eiusque primum universalis Ecclesiae *Doctorem* (qui, attento declarationis ordine, quintum et vicesimum locum inter Sanctos Doctores obtinet): sed alios etiam Beatos concedere nobis voluit, ita ut ad nonagintanovem hi nunc censeantur. Aliquot ante annis praevideri haudquaquam poterat huius Causae exitus tam festinus; non quidem ex intrinsecis rei difficultatibus, sed quia loci temporisque distantia apostolicos de hisce Martyribus processus necessario diu differre debebat; quando vero processuales tabulae Romam perlatae sunt, haud facile videbatur illico apud Sacram Rituum Congregationem earum discussionem, multis aliis pospositis, inchoare. Deus autem, qua est benignitate, disposuit, ut cum Patrem Nostrum Summus Pontifex anno 1924 ineunte alloqueretur, sponte incideret sermo in hos Americae Septentrionalis Martyres; cumque Sanctissimus Dominus maxima cum animi voluptate rescivisset etiam pro illis regionibus bene inchoatam Causam adesse, E.mo Card. Vico et RR. DD. Angelo Mariani, Fidei Promotori, Ipsemet vehementer commendare dignatus est, ut, quantum possent, inter Beatificationes in Annum Sanctum peragendas, haec quoque Martyrum Canadensium adscriberetur. Et re quidem vera super octo Servorum Dei Martyrio die 18 novembris praeteriti anni Congregatio habita est Antepraeparatoria; die vero 31 martii labentis anni Congregatio Praeparatoria; ac denique die 12 maii Congregatio Generalis coram Summo Pontifice, atque, super dubio: " *An tuto procedi possit* ", uti die 24 martii pro B. Canisio contigerat. Porro ex hac, quantumvis praeter spem accelerata, ampla tamen seriaque investigatione, octo Martyrum heroica virtus, maxime vero duorum agminum ducum, Patrum de Brébeuf et Jogues, adeo eluxit, ut quidam Sacrae Congregationis Praelati suam admirationem ostenderent, quod tamdiu dilata sit talium heroum Causa apud Sacram Congregationem agitari, quorum nonnulli vel sine martyrio pro Beatificatione proponi certissime poterant. In odium autem fidei eos omnes martyrium passos esse tam evidenter apparuit, ut ad normam Canonis 2116 § 2, a signis seu miraculis discutiendis, quae minime tamen deerant, Sacra Congregatio supersederet. Duo vero decreta super Martyrio et " *tuto* " Beatissimus Pater sollemniter legi iussit die

2 iunii una cum quibusdam aliarum causarum decretis, inter quae illud de Ven. Petro Iuliano Eymard, Sacerdotum a SS. Sacramento Conditore, quorum Praepositus Generalis, omnium nomine, Summo Pontifici verba fecit. Qui benigne, uti assolet, respondens, ingenti cum affectu Americae quoque Septentrionali gratulatus est, quod per hos Martyres nostros in Ecclesiae Martyrologium splendide vel ipsa primum ingrederetur. Aderant de Societate quatuor sacrorum Antistites, qui ad limina Apostolorum nuper advenerant: RR. DD. Ferdinandus Périer (Prov. Belg.) Archiep. Calcuttensis, Aloisius Muñoz (Prov. Cast.) Archiep. Guatemalensis, Iosephus Clos (Prov. Arag.) Episc. Zamboangensis, et Tiburtius Roche (Prov. Tolos.) Episc. Tuticorinensis.

Ex hac die illi octo Servi Dei Venerabilium titulo decorantur; verum non diu, nam eorum inter Beatos adscriptio in diem 21 iunii statuta fuit.

Beatificationis ritus.

11. – Beatificationum ritus, sive quia multo minus quam canonizationum sollemnes sunt, sive quia frequentiores (Martyrum Canadensium beatificatio septima erat hoc anno), non tantam attrahunt gentium multitudinem, quanta in supremis Sanctorum honoribus coacervari solet. Nihilominus, vespere praesertim, cum Pontifex ipse descendit Beatos novensiles veneraturus, ingens fit in S. Petri hominum concursus; tesserae quoque pro hac vespertina caeremonia avide requiruntur, nec semper petitionibus fieri potest satis. Solent etiam hisce occasionibus multae peregrinationes institui, praesertim e regionibus, quae Beatos recentes propius spectant. Quodsi e Canadensi regione et Statibus Foederatis, utpote ab Urbe remotioribus, ingens peregrinantium numerus expectari non poterat, non defuerunt tamen qui nationes illas repraesentarent, maxime Canadensem, ex qua septuaginta circiter homines advenerant a Patribus Eduardo Devine et Vedasto Artus ducti, praeeunte RR. DD. Alphonso Deschamps, Auxiliari Episcopo Marianopolitano (Montréal). Gubernii Provinciae Quebecensis personam gerebat Excell. Comes Mercier, Terrarum Silvarumque Minister, qui cum uxore et filia sacris caeremoniis adfuit in Principum suggestu. Nomine Praepositi Provincialis Canadae Inferioris advenit P. Iacobus Dugas; Praepositum vero Viceprovinciae Canadae Superioris repraesentabant duo superius nominati Patres Devine et Artus, quorum postremus a multis

annis in Missionibus Indicis ditionis Canadensis vitam degit. Status autem Foederati Americae, qui in Beatis Jogues, Goupil et de La Lande suas et ipsi Beatorum primitias habent, et praesertim Status Neo-Eboraci ac Provincia nostra Marylandiae-Neo Eboracensis, in cuius finibus tres Martyres necati sunt, Roma profecto non aberant. E Nostris enim, praeter eos qui varia de causa iam Romae degunt, illius Provinciae Praepositi vices tenebat P. Ioannes Wynne, qui eorundem Martyrum causam in America Vice-postulator promoverat. Denique ex Franciae Provincia, ad quam septem e novis Beatis pertinuerunt (octavus enim ad Prov. Tolosanam spectabat), ipse Provincialis aderat, R. P. Felix Mollat.

Die 21 iunii hora circiter 10 ante meridiem sacrae pompae initium factum est. Cum Pontifex mane non intersit, in Basilicam Vaticana ingredi unicuique fas est, quamvis tesserae distribuantur pro peculiaribus locis et pro suggestis. E peristylo centrali in parte exteriore Basilicae magnum vexillum octo Martyres gloria donatos refert, hisce verbis inscriptis: *Martyres Canadenses et Neo-Eboracenses S. I.* Vexillum tamen coopertum manet, donec in Basilica hymnus canitur " *Te Deum* ". Sub atrio principali ianuae imposita magna tabula octo invictorum Christi pugilum exhibet perinsigne martyrium. Ad pontificii altaris latus alia duo vexilla pendent, quibus martyrium exprimitur P. Natalis Chabanel et P. Caroli Garnier, et inscriptum legitur, sub altero quidem: *Beatus Chabanel ab apostata occisus, in flumen proiicitur*; sub altero vero: *Beatus Garnier, iam telo confossus, dum ad moribundum absolvendum ire contendit, necatur.* Super S. Petri Cathedram radiis circumdata ingens tabula recentium Beatorum gloriam refert, velo tamen interim operta. Reliquiae pariter operiuntur, in extrema abside altari impositae, ad quod ritus omnis explicatur. Ubi autem Capitulum Vaticanum cum Archipresbytero Cardinali Merry del Val, et nonnulli E.mi Cardinales ex iis qui ad S. Rituum Congregationem pertinent (quinque illa die aderant) cum Praelatis et Consultoribus eiusdem, atque Pater Generalis cum P. Postulatore, suis quisque locis consederunt, Secretarius Rituum simul cum Postulatore se sistit coram E.mo S. Rituum Congregationis Praefecto, ac Postulator facultatem ab eo poscit Breve pontificium evulgandi, quo octo Societatis Iesu Venerabiles Martyres Beati declarantur. Cardinalis, quantum in se est, optatam licentiam libentissime concedit, at

postulantes ad E.mum Cardinalem Archipresbyterum Basilicae remittit, qui illius lectionem in ecclesia sua concedat; eoque ultro annuente, Canonicus Vaticanus (fuit tunc RR. DD. Caesar Cerretti, frater Nuntii Apostolici Galliae) suggestum ad hoc paratum ascendit, atque elata voce Litteras legit Apostolicas, quibus Summus Pontifex, Venerabilium Martyrum praeconio eorumque vitae summario praemisso, concedit ut Beati nuncupentur ac quibusdam limitibus ad leges canonicas colantur. Lectione peracta, omnes assurgunt, tabula gloriae detegitur et illuminatur, sicuti tota absis splendide iam collucet; Martyrum reliquiae discooperiuntur eisque thura adolentur; RR. vero DD. Aloisius Pellizzo, Archiepiscopus titularis Tamiathensis, Oeconomus Fabricae S. Petri et Canonicus Vaticanus, pontificalibus indumentis ornatus, "*Te Deum*" intonat, quem alternatim cantores populusque concinunt. Simul vexillum in parte exteriore Basilicae pendens aperitur, dum aera campana novos Beatos salutant, atque cives ad eos salutandos invitant. Canitur deinceps consueto ritu ab eodem Archiepiscopo Missa pontificalis de ipsis Beatis, ac libri eorum vitam describentes eorumque imagines praesentibus distribuuntur.

Summi Pontificis visitatio.

12. – Sub vesperam hora 5 vividus atque intensius quam mane peramplum S. Petri forum commovetur: ad loca omnes accurrunt plus minusve opportuniora, pro tessera quam sibi quisque comparare potuit. Hora 6 argenteae tubae sollemnem Pontificis ingressum festivo sonito annuntiant. Praeeunt pontificiae Curiae digniores et Purpurati Patres, numero duodecim; dum Episcopi ceterique Praelati in abside Basilicae iam adsunt; Episcopos inter aderat etiam RR. DD. Aloisius Muñoz S. I., Archiepiscopus Guatimalensis. Incedit Pontifex sella gestatoria elatus, palliolo rubro, rubeaque amictus stola. Ut absydem advenit, e sella descendit, genua ad faldistorium flectit, SS. Sacramentum publice exponitur adorandum, cui ipsemet Pontifex thura reddit, a Cardinali Archipresbytero comitatus. Praemissa antiphona ad Venerabile Secramentum, canitur Martyrum hymnus eorumque Oratio propria et illico "*Tantum ergo*". Pontifex non ipse ritus agit, sed tantummodo adest, thus, ut dixi, adurens. Sollemnem autem SS. Sacramenti Benedictionem impertit RR. DD. Alphonsus Deschamps, Episcopus Auxiliaris Marianapolitani (Montréal), cui

ita feliciter contigit primos tribuere honores primis suae Canadensis regionis Beatis Caelitibus.

Benedictione peracta, repositoque SS. Sacramento, Beatissimo Patri ibidem consueta exhibentur dona, quae, praeter Patrem Nostrum et P. Postulatorem, alii Patres comitati sunt et obtulerunt, ex iis selecti qui cum novis Beatis maiorem quandam haberent coniunctionem, id est: R. P. Iosephus Welsby Assistens Angliae, PP. Eduardus Goulet et Iacobus Dugas (Prov. Canad. Inf.), et P. Ioannes Ios. O'Rourke (Prov. Maryl. N. E.) Rector et Praeses Instituti Biblici. Dona autem haec erant: nonnulla Beatorum vitae exemplaria pelle pannoque serico pretiose compacta; numismata eorundem aurea atque argentea; affabre consertus manipulus florum; ingens denique reliquiarium argenteum, quod figuram exprimebat monumenti lapidei super Martyrum collem in regione Canadensi erectum et quatuor habebat incisas tabellas ad quatuor angulos appositas: quarum prima S. P. Ignatium exprimebat, altera S. Franciscum Xaverium Missionum Protectorem, tertia clarissimos Missionarios illo die Beatorum albo adscriptos, quarta eumdem Pium XI cum appellatione: " Missionum Pontifex „; cui artificis inventioni Sanctitas Sua benevole subrisit. Reliquiae autem continebantur solum Beatorum de Brébeuf, Lalemant et Garnier; ceterorum namque nullae exstant. Beatissimus Pater paulisper cum Patre Generali aliisque Nostris moratus est ob novos apud Deum intercessores Societati et Americae gratulationes suas ex animo renovans; ac denique, ad sediam gestatoriam rediens, inter adstantium plausus argentearumque tubarum sonos, in aedes suas reversus est.

Triduanae festivitates.

13. – Tribus sequentibus diebus sollemnia ad SS. Nominis Iesu templum splendidissime ornatum celebrata fuere, perinde ac pro S. Petro Canisio superiore mense actum erat. Pontificalia Sacra hisce diebus peregerunt: RR. DD. Iosephus Palica, Archiepiscopus Philippensis et Romae Vicesgerens; RR. DD. Alphonsus Deschamps, Episcopus Auxiliaris Marianopolitanus; E.mus Card. Michael Lega, S. Congregationi de Sacramentis Praefectus. Recentium Beatorum laudes vespere dixerunt: R. P. Franciscus Xaverius a S. Teresia, Carmelita discalceatus; RR. DD. Carolus Salotti, Fidei Subpromotor; RR. DD. Hermenegildus Lucas Pasetto, Episcopus Gerrhensis, ex Ord. Fr. Cappucc.

Singulis diebus sollemnis Benedictio ab aliquo E.mo Cardinali impertiebatur; tertia die vespere, solido splendidior ac numerosior fuit sacer comitatus, nam praeter Nostros bene multos, alumni quoque Collegiorum Ecclesiasticorum, maxime Canadensis, Americae Septentrionalis, Propagandae Fidei, E.mum Cardinalem Vico stipabant, qui, post Ambrosianum hymnum sollemniter decantatum, trinam impertit Benedictionem.

Patris Nostri epistola paraenetica.

14. – Ne autem haec sollemnia in exteriore tantum apparatu et gaudio sisterent, ut iam legistis et meditati estis, Pater Noster in communi quadam ad Societatem universam epistola spirituales fructus collegit, qui nobis inde capiendi sunt, nosque hortatus est, ut qua via ad caelestia regna Fratres nostri pervenerunt, quos ovantes extollimus, eadem et nos generoso animo incedamus (1). Ipsi nos iuvent ad salutaria amatissimi Patris Nostri monita fideliter opere exsequenda, atque heroica exempla aemulanda, quae nobis ipsi reliquerunt.

Altera epistola alios communis aedificationis nuncios vobis exponam; modo enim huius epistolae argumentum cum aliis rebus permiscere nolo.

Commendo me ss. SS.

Tusculi, die festo B. M. V. in caelum Assumptae,

15 augusti 1925.

Vestrum omnium servus in Xto.
HENRICUS CARVAJAL
Secr. Soc. Iesu.

(1) *Acta Rom.*, V (1925), pp. 293 sqq.

Dec. 1924 – nov. 1925.

II.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI:
P. XTI.

Communes Societatis nuntii, qui sub finem proximae epistolae promittebantur, inde resumi debent, quo ante undecim integros menses narrando perveneramus; superiores enim, quas commemoravi, litterae ita de novo Societatis Sancto novisque Beatis Martyribus totae erant, ut nihil praeterea continerent.

Expositio Missionaria Vaticana.

1. – Et primo quidem aliquid dicendum occurrit de Expositione Missionaria Vaticana, in qua Societas nostra partem sane non exiguam occupat. Nam sicut ubique fere terrarum, Deo favente, in vinea Domini adlaborant Nostri, ita in hac quoque Expositione, quae (ut notum est) pro diversis orbis plagis distribuitur, in omnibus fere tabernaculis quaedam ad nostras Missiones attinentia prostant spectanda. At non solum rerum nostrarum numerum admirantur periti viri, sed potius intimum earum valorem et aptam seriamque exponendi methodum. Quod iudicium, saepe sponteque a compluribus prolatum, nullam profecto sapit cum aliis Ordinibus odiosam comparationem; Nostris autem Missionariis gratum erit audire.

Meum sane non est singula describere; at liceat vobiscum, romanam peregrinationem in spiritu instituentibus, praecipua saltem obiter attingere, secundum ordinem quem invisentes servare solent. Post aulam Missionis Palaestinensis Fratrum Minorum, quae propter debitam Terrae Sanctae venerationem primum locum obtinet, in aulam historicam pedem inferimus: generalis ea quidem est et omnibus Missionibus communis, sed tot tamque pretiosa in ea sunt documenta (manuscripta, chartae geographicae, tabulae pictae, res curiosae, aliaque id genus) ad Societatem pertinentia, ut fere dimidia pars nostris rebus occupetur. Inde egredientibus statim occurrit venerandum quoddam tabernacu-

lum ab imis parietibus ad summos tabulis decoratum, quibus complures Sancti Evangelii praecones vel Martyres illustres depinguntur, quos inter bene multi e Nostris, ut S. Franciscus Xaverius, S. Petrus Claver, Sancti et Beati Martyres Iaponenses, Beatus Ioannes de Britto, alii; quorum etiam nonnullae eaeque insignes reliquiae ibi exhibentur. – In proxima aula ethnographica, quae magni fit a peritis, multa item habentur documenta a Nostris missa, quamquam, quae est huius aulae dispositio, ab aliis non facile distinguuntur.

Patris Iacobi Marquette S. I. procera statua (exemplar illius quae in Washingtonensi Capitolio anno 1895 ad eius honorem erecta est) medium pavimentum tenet in magna Americae Septentrionalis et Centralis aula, eamque circumstant fictiles imagines ad antiquas illarum regionum Missiones pertinentes, quae magna ex parte, ut nostis, Societati commissae erant. Ad hodiernas Missiones quod attinet, extremum aulae parietem tegunt pensiles duae tabulae, Alaskanae Missionis difficultates oculis exhibentes: altera Missionarium refert inter perpetuas nives iter agentem, altera P. Fridericum Ruppert (de quo in superiore epistola: vide supra, pag. 159), mense decembri anni 1923, dum diebus festis Natalis Domini orphanis pueris dona afferebat, frigore peremptum. Nec desunt paucae quidem, sed variae et pretiosae res quae nostras Guyanensem, Hondurensem, Iamaicensem, Montium Saxosorum, Tarahumarensem, Indicas Canadenses Missiones illustrant.

Ingredimur deinde in aulam principem totius Expositionis, in qua chartae geographicae et " statisticae „ generales, perbelle distributae, ingentes totius Ecclesiae Catholicae in evangelizandis infidelibus exantlatos labores uno veluti conspectu referunt. Pulchrum sane spectaculum! Sed si quis has tabulas bene consideret, fieri nequit quin etiam videat quam longa restet via ad illud unum ovile sub uno Pastore obtinendum, quod Dominus Iesus infallibili oraculo promisit. Et cum benignissimus hominum Salvator nos tanti operis adiutores eligere dignatus sit, ipsae hae tabulae apostolicum zelum inflamment oportet: nam ex decies millies centenis millibus infidelium totius orbis (1.000.000.000) non minus bis millies centena millia (200.000.000), id est quinta pars, Societatis curis commissa sunt.

Huic aulae adiacet bibliotheca generalis Missionum, in qua plurimi libri a Nostris editi manifesto testantur quantopere Societas vel in mediis apostolicis ministeriis sanam utilemque eru-

ditionem coluerit; quaedam ex his operibus pretiosissima sunt, ea praesertim quae linguas indigenas, ethnologiam, historiam spectant, cum haec plerumque in unaquaque Missione prima sint harum scientiarum tentamina. – Hic etiam locum habent instrumenta quaedam scientifica et photographiae aliaque documenta, quae ad Observatoria astronomica et Universitates in Missionibus conditas pertinent, et vix non omnia e nostris Missionibus advecta sunt.

Cum in aula Americae Meridionalis, quae proxime occurrit, nihil habeat Societas (nam quae ad Guyanam Britannicam pertinent alibi inveniuntur), ad primum Asiae tentorium statim pervenimus, in qua de nostra Missione Syriaca cum Universitate Berytensi diserte admodum loquuntur tabulae photographicae et statisticae. Missio quoque Armeniae (nunc pro dolor dispersa) nonnullas imagines photographicas et antiquae prosperitatis indices hic exhibet.

Sed ecce iam apparet ingens S. Francisci Xaverii statua in medio Indicarum Missionum tabernaculo erecta, circa quam omnes Dioeceses nobis in Indiis et in Ceylon concreditae suas quaeque res perbelle apteque exponunt. Multa possint dici de singulis hisce Missionibus, Bombay-Poonensi, Calecutensi cum dioecesi indigena Mangalorensi, Calcuttensis, Trichinopolitana cum dioecesi indigena Tuticorinensi, Patnensi, Gallensi, Trincomaliensi, quarum florentem conditionem hic complura documenta, collectiones, tabulae testantur; sed cum longe plura, quam quae vidimus, nos maneant conspicienda, festinato gressu per hanc et multo magis per duas reliquas Indiarum et Indo-Sinarum aulas, e quibus exulat Societas, obiter transeuntes, ultra procedamus oportet.

Secunda pars Expositionis.

2. – Hac prima, in area quam " della Pigna „ vocant, Expositionis parte relicta, Vaticanos hortos ingrediamur, ubi duo magna Sinicarum Missionum tentoria statim apparent, in quorum altero tres nostri Vicariatus Apostolici, Nankinensis, Sien-hsien, Wuhu, optima praebent artis suorum alumnorum specimina, et statum Missionum atque operum graphicis tabulis venuste demonstrant. Ad Asiam insularem transeuntes, Missionem Bataviae invenimus, cuius copiosus operum prospectus, cum non modo fructus, sed et difficultates apostolatus ostendat, tanto laetior apparet.

Insulae Philippinae duabus magnis pretiosisque mensis aliisque illarum regionum rebus curiosis invisentium oculos percellunt; sed praeterea admirationem peritorum excitant multis operibus scientificis et meteorologicis instrumentis, quae in illa aula vel exhibentur vel saltem describuntur, quaeque in manu Missionariorum etiam apostolica instrumenta fiunt.

De rebus Iaponicis exponendis ipsum civile et ethnicum gubernium curam suscepit, munusque libere initum feliciter praestitit: in hoc tentorio dignae sunt quae notentur photographicae tabulae, quibus antiquarum nostrarum christianitatum iaponensium vestigia referuntur. E nostra autem Tokyensi Universitate et e Vicariatibus Hiroshimensi atque Insularum Carolinarum peculiaria quaedam seorsum exhibentur.

Ad Africam denique convertimur, in cuius tabernaculis multa habentur, praesertim ex insula Madagascar, ex Aegypto, Zambesi ac Rhodesia, a Nostris missa, quae illarum regionum historiam, ethnographiam, cultum illustrant. – Missio nostra Kwangensis aliaeque omnes Missiones Congi belgici unicam eamque optime dispositam exhibitionem praepararunt, in qua singulae Missionariorum familiae vix apparent, cum omnes in communem veluti thesaurum suas res, Gubernio adiuvante, contulerint: imitandum fraternae caritatis et mutui auxilii exemplum! – Duo Vicariatus Apostolici, Tananarivensis et Fianarantsoensis, quos Societas in magna insula Madagascar (cuius evangelizatio olim nobis tota incumbebat) etiamnum regit, praeter res historicas et ethnographicas supra commemoratas, pulchris et copiosis statisticis florentem suam conditionem manifestant.

Nec satis: in Musaeis enim, quae Chiaramonti et Lapidarium appellantur, complura item exhibentur quae ob magnam molem alibi locum non habuerunt, vel quae ad opera Missionum auxiliaria pertinent; ne illic quidem desunt res nostrae, quas tamen enucleatius indicare non vacat. In iisdem Musaeis cernuntur ea quae sunt Missionum Europaearum, in quibus nostra Missio excurrens Albaniensis et Missio in Insulis Aegaeis iure meritoque enumerantur.

Statisticae Missionum.

3. – In ea vero Musaei Chiaromonti parte, quae propius contingit aream " della Pigna „ singuli Religiosorum Ordines distinctas suarum rerum missionalium " statisticas „ perhibent, quae apostolicos cuiusque Instituti labores uno complexu conspicien

dos praebent: " Magnificum sane spectaculum (ut Summi Pontificis ea perlegentis verbis utar), si tamen quis tam pulchra *legere sciat* „.

Itaque quo melius ad ea *legenda et scienda,* quae Societatis sunt, omnes iuvarentur, hae nostrarum Missionum tabulae hoc Expositionis loco exhibendae tam eleganter confectae sunt, ut visitantes, ipsa rerum specie allecti, libentius ac diutius sisterent et inspicerent. Et re vera, si quorundum magnae notae virorum iudicio stare velimus, in hac Expositionis parte Societas primas tulit; nec defuit qui eam totius Expositionis pulcherrimam dixerit. Eminent, post Nomen Iesu, imagines S. P. Ignatii, S. Francisci Xaverii, S. Francisci Borgiae zelantissimi Missionum promotoris, sub quibus charta totius orbis locum et extensionem indicat singularum Missionum, quarum copiosae operum et Sociorum indicationes magnis pulchrisque characteribus ad utrumque chartae latus leguntur. Aliae tabulae, variis coloribus depictae, et vetus charta geographica photographice expressa, vel comparationem instituunt inter praesentes Missiones et antiquas, vel Sanctorum et Beatorum Nostrorum ad Missiones pertinentium gloriosa nomina recensent. Quae fere omnia, plurimis etiam libellis, plagulis, chartulis commissa variisque linguis repetita, invisentibus omnibus praesto sunt atque adeo traduntur. Cum autem complura horum exemplaria ad Provincias missa sint, haec vobis haud ignota esse puto.

Medicinae aula.

4. – In hac, etsi cursim facta, per Expositionem ambulatione, omitti nequit artis medicinae aula, quae seorsum in limine hortorum Vaticanorum aedificata est, quaeque a peritis plurimi aestimatur. In ea ad scientiae leges disposita sunt quae ad peculiares cuiusque regionis morbos eorumque curam pertinent; multa ut patet, etiam e nostris Missionibus allata sunt, sed frustra (quae est nativa huius aulae indoles) ea quaeres ab aliis separata. Digni sunt qui notentur libri de " China-china „ seu " chinino „ quod vocant, notissimo illo contra febrim medicamento, cuius usum Nostri ex Peruvia in Europam invexerunt, tantamque hac in re famam acquisivit Societas, ut illud remedium, vel apud Anglicanos aliosve haereticos, " Pulvis Jesuiticus „ passim vocaretur. Romani vero, praesertim pauperes, hanc medicinam " Pulverem Cardinalis „ appellabant, in grati animi significationem

erga nostrum Cardinalem Ioannem De Lugo, qui de illius usu, maxime in nosocomio a Sancto Spiritu, bene omnino meruit. Optimus quidam medicus romanus, Societati addictissimus, nuper hac de re libellum a se editum, cui titulum indidit "*Pulvis Jesuiticus*" inter collegas suos, qui Romam convenerant, distribuit.

Expositionis visitatores.

5. – Die 21 decembris 1924 Summus Pontifex solemni ritu Expositionem Missionariam Vaticanam auspicare voluit et, Patribus Cardinalibus ac Nationum Legatis comitantibus, eam totam primus invisit. Neque eo tantum die, verum etiam alias saepe, et praesertim in peculiari colloquio, quod die 5 ianuarii huius anni communiter concessit omnibus qui in Expositione paranda adlaboraverant, Beatissimus Pater diserte et copiose Religiosorum Ordinum de Evangelio dilatando merita commemoravit, omnibusque Missionariis, ubicumque vineae Domini excolendae operam dant, peramanter benedixit.

Postquam Summus Pontifex eam primus invisit, tum demum Expositio Missionaria omnibus patuit. Singulis diebus ingens invisentium concursus habetur: ab ea inita ad finem usque septembris amplius 500.000 numerabantur, e quibus fere 140 milia uno mense septembri. Sunt qui cursim per tentoria transeant, cum tempus diutius commorandi iis non suppetat; sed sunt etiam qui studiose omnia perscrutentur et attente audiant quae a Missionariis declarantur. Nam in singulis fere aulis sibi succedunt per vices quidam ex variis Ordinibus vel Congregationibus sodales, parati pro varietate linguarum et missionum opportune cum advenis verba miscere, quo tot tantarumque rerum inspectio utilior evadat. E Nostris, praeter PP. Eduardum Goulet et Laurentium O'Keeffe ad Curiam pertinentes, hoc munere funguntur PP. Richardus Cirera (Prov. Arag.), Henricus Dubois (Prov. Camp.), Marius Grimaldi (Prov. Taurin.) et quatuor Fratres Coadiutores e Provinciis Sicula et Veneta; aliquot menses P. Albertus Rembold (Prov. Germ. Inf.) quoque idem praestitit. Huc etiam referendi sunt complures articuli vel ab iisdem Patribus vel ab aliis de Societate conscripti sive in ephemeride cura et studio Expositionis Vaticanae edita, sive in aliis similibus chartis periodicis.

Mirum quantum haec Vaticana Expositio, quae omnium iu-

dicio pulcherrima est et copiosissima, iuvare poterit catholicarum Missionum incrementum, a Summo Pontifice, tantam rei molem promovente, unice optatum.

Annus Sanctus et Societas.

6. – Quamquam non ad solam Societatem spectat, nefas est praetermittere id quod totum commovet orbem: Anni Sancti celebrationem. Ad Urbem undique convolant innumerae peregrinorum turbae, Romanas Basilicas et sepulchra Apostolorum ac Martyrum, piis saepe pompis per vias institutis, frequentant, Christi in terris Vicarium summa ac filiali pietate adeunt, audiunt, venerantur. Templa quoque nostra S. Ignatii, S. Andreae ad Quirinalem et praecipue SS. Nominis Iesu saepe stipantur peregrinorum coetibus, et cubicula S. P. Ignatii ac SS. Aloisii, Ioannis et Stanislai a plurimis invisuntur.

Multae ex his peregrinationibus a Nostris vel ordinatae vel promotae sunt, easque interdum quidam de Societate sunt comitati secundum normas a Patre Nostro traditas (1).

Et ut a Collegiis incipiamus, " Istituto Massimo „ quod Societas habet florentissimum in ipsa Urbe, mense martio, longo alumnorum fere mille eorumque familiarum agmine per vias deducto, praescriptas visitationes una simul instituit. Complura alia Collegia tam ex eadem Provincia Romana, quam ex reliqua Italia, ex Belgio, ex Hungaria, ex Hispania, ex Gallia selectos quosdam alumnos Romam miserunt ut nomine omnium, Apostolorum sepulchra venerati, Summo Christi Vicario debitam exhiberent reverentiam, et Patri Nostro, atque in eo Societati, filialem pietatem profiterentur. Alumni vero Collegii Quinque-Ecclesiensis (Prov. Hung.), viva voce non contenti, instrumentis musicis, quae secum attulerant, optimos concentus, sicut paulo ante coram Summo Pontifice praestiterant, in cavaedio Collegii Germanici-Hungarici ad honorem Patris Nostri ediderunt. — Seminarium Pontificium Comillense (Prov. Legion.), exeunte mense augusto, ducentos omnino ex praesentibus et antiquis alumnis Romam misit, quos inter aderat Episcopus RR. DD. Silverius Velasco Perez, Administrator Apostolicus Civitatensis (Ciudad Rodrigo), idemque Patri Nostro eos apud templum SS. Nominis Iesu alloquenti communes gratias retulit.

(1) *Acta Rom.*, V (1924), pp. 124–125.

Congregationum quoque Marianarum quam plurimi undique venerunt, praesertim ex America, Hispania, Hungaria, Germania; Barcinonenses sodales, simul cum sociis Apostolatus Orationis, optimam sui in Urbe memoriam reliquerunt ob insignem pietatem qua, mense maio, praescriptas visitationes, magna Crucifixi imagine praeeunte, instituerant; Hungarici in cavaedio Collegii Germanici academiam quandam coram Patre Generali cum sermonibus et canticis habuerunt; alii autem fere omnes, Patrem Nostrum item convenientes, magnum in Societatem amorem et grati animi sensus professi sunt.

Qua in re excelluit Sodalitas virorum Trevirensium, quae, etsi nunc a Nostris non regitur, semper est Societati addictissima. Iam mense maio, quibus diebus S. Petro Canisio summi honores Romae tribuebantur, hoc longum et pulcherrimum telegramma Patri Nostro gratulabunda misit:

" Sodalitas Mariana Civica Trevirensis duo fere millia catholicorum complectens et ex temporibus Sancti Canisii incessanter in salute animarum operans, tibi, reverendissime in Christo Pater, in festivitatem elevationis primi filii teutonici Sancti Ignatii antecessoris tui in catalogum Sanctorum, laetissime et ex intimis visceribus gratulatur, promittens nos in fide catholica, quam Antecessores tui necnon secundus Germaniae Apostolus oboedientissimi Romano Pontifici nobis servaverunt, usque ad mortem fidelissimos permansuros. Paternitas tua nobis Trevirensibus, diebus primis octobris, si peregrinandi causa Romae, Episcopo dilectissimo Francisco Rudolpho duce, numero plus quam quingenti commorabimur, honorem et gratiam impertiatur celebrandi sacrificium Ecclesia tua Iesu dedicata simulque distribuendi peregrinantibus Trevirensibus Communionem sacram, ut Urbi et orbi manifestemus filialem nostrum amorem erga antecessorem tuum Sanctum Patrem Ignatium omnesque eius filios, quibus pretiosissimum nostrum thesaurum, amorem Vicarii Christi in Ecclesia Filii Dei, debemus. Die 19 maii. Oboedientissimi filii tui Trevirenses: Dr. Rose Praefectus; Prof. Hamm Praeses „.

Et quod promiserant pii Sodales opere compleverunt. Nam exeunte mense septembri ex illis quingenti quadraginta viri Romae aderant; quos Pater Noster, ad aram S. P. Ignatii sacrum faciens, divina dape refecit, et postea sacro numismate donavit.

Similia fere dicenda de plurimis Apostolatus Orationis so-

ciis, qui vel soli vel, ut Catalauni et Lugdunenses, una cum Marianis Sodalibus, romanam peregrinationem aggressi sunt. Ex tota Italia, exempli gratia, Apostolatus Orationis exeunte septembri suos asseclas ingenti numero Romam transmisit; quos alloquens Beatissimus Pater de fine et excellentia pii Foederis multa eaque pulcherrima verba fecit, quae suo loco et tempore edenda curabimus (1). Huic praecesserat singularis prorsus ad Basilicas peregrinatio, quam mense iulio septingenti ductores curruum electricorum Urbis (" tramvieri romani „), in Apostolatum Orationis sub patrocinio B. Mariae Virginis a Strata assumpti, cum suae artis insignibus, aliquibus Nostris comitantibus, instituerant; eos sacra Communione suis Ipse manibus Summus Pontifex refecit. Mense autem septembri ineunte, quingenti viri (quos inter complures sacerdotes) ex Flandria, pars electa Foederis a SS. Corde, ducibus duobus e Nostris, Romam cum vexillis venerunt; et praeter alia spectandae pietatis opera, postquam ad sepulchrum S. Ioannis Berchmans civis sui convenerant, in proxima Pontificia Universitate Gregoriana Patri Nostro et Societati insigne devoti et grati animi testimonium exhibuerunt. — Eodem fere tempore adfuit in Urbe parvus quidem, sed selectus manipulus Lugdunensium opificum, Apostolatui Orationis et Marianae Sodalitati adscriptorum, qui dona suis manibus confecta Summo Pontifici et Patri Nostro, miro ingenui animi candore, obtulerunt.

Et quoniam de opificibus incidit sermo, dignum profecto est quod commemoretur magnificum spectaculum mirantibus civibus exhibitum a tribus millibus opificum Romanorum, ad nostrum Foedus " Ritiri Operai „ pertinentium, qui, mensibus martio et aprili, una simul, duce P. Dominico Gori (Prov. Rom.), inani hominum iudicio posthabito, per urbanas vias praeeunte cruce turmatim incesserunt indulgentias Iubilaei lucraturi. Hi, cum deinde essent a Summo Pontifice benignissimi excepti, ab Eodem perample laudati sunt. Multi etiam ex aliis Italiae Assistentiae Provinciis, Taurinensi praesertim et Veneta, Romam a Nostris deducti sunt opifices Foederis perseverantiae socii.

Die 22 octobris Patrem nostrum convenit singularis peregrinorum manipulus: undecim venerabiles Pontificii exercitus veterani milites Canadenses (*Zouaves Pontificaux*) quorum minimus natu 73 habebat annos, duce P. Alphonso Daignault (Prov. Can.

(1) *Acta Rom.*, V (1925), pp. 251 sqq.

Inf.), ipso quoque veterano pontificio, e Canada Romam venerant, ut indeficientem erga Sanctam Sedem fidelitatem, quam ante quinquaginta quinque annos iuvenes contra hostes dimicantes sua virtute comprobaverant, sua pietate nunc senes iterum in Urbe profiterentur. Ut autem heredes sibi adsciscerent, quibus firmissimam in Romanum Pontificem devotionem tamquam pretiosissimum thesaurum transmittere possint, iampridem instituendam curaverant florentem quamdam sodalitatem, cuius socii " Pontificales Milites Canadenses „ appellantur; quorum multi, veteranos Romam comitati, suae sodalitatis vexillo a Summo Pontifice peramanter benedictione muniri laeti inspexerunt.

Mitto complures alias easque creberrimas phalanges, quibus Nostrorum opera non defuit, sed quae ad Societatem verius non pertinent, ut sunt Exploratores catholici (*Boy-Scouts*), Iuventus catholica, Magistri ex tota Hispania, Unio magistrarum Bavariae, Sodalitas mercatorum Germaniae, alii similes peregrinorum manipuli.

Silentio tamen praeterire non possum parvam quidem, sed " qualificatam „ (ut ait Summus Pontifex) peregrinationem a Novitiis Provinciae Romanae mense augusto exeunte institutam, eo magis quod hi, cum a sua domo Tusculana in Urbem Iubilaei lucrandi causa venissent et Christi in terris Vicarium venerabundi adiissent, omnium Societatis Novitiorum personam gerere visi sunt; nam Beatissimus Pater, eos hortatus ut gratiam vocationis maximi facerent, quippe quae sit primus aureae catenae anulus e quo ingens gratiarum cumulus dependeat, diserte atque humanissime declaravit: Se Apostolicam Benedictionem non modo ipsis, sed universis etiam Societatis tironibus impertire velle.

Primus Universitatis Gregorianae lapis.

7. – Ut alias dictum est, statutum atque deliberatum habebat Sanctissimus Dominus ante finem anni 1924 primum lapidem ponere novae Universitatis Gregorianae. Itaque omnibus difficultatibus feliciter superatis, die 27 decembris, S. Ioanni Apostolo sacro, ab E.mo Card. Caietano Bisleti, adstantibus Padre Nostro cum Assistentibus et Praeposito Provinciae Romanae atque Universitatis Gregorianae Moderatoribus ac Magistris, marmor aqua lustrali aspersum sollemniter demissum est. Ad perennem rei memoriam, praeter hodiernos nummos et sacra numismata, papyrus lapidi inserta est, hisce verbis inscripta:

" Quod in maiorem Dei laudem cederet – Pio XI P. M. auspice

auctore – Caietanus Bisleti S. R. E. Card. et supremus studiorum Moderator – Ad novam sedem exstruendam – Pontificiae Universitatis Gregorianae – Collegii Romani S. I. – Primum lapidem posuit – VI Kal. Ian. A. D. MCMXXIV – Ioanne Divini Cordis delicias experto – E Caelis favente „.

Adversus loci angustias atque importunas antiquissimi templi ruinas sancte servandas, aedificii construendi descriptio, opera praesertim et diligenti studio P. Petri Basterra, architecti nostri, potuit et foris ad gravem romanorum aedium amplitudinem et intus ad multiplices Universitatis necessitates tam apte accommodari, ut omnium approbationem, etiam fastidiosae Commissionis artis, statim obtinuerit. Sed aliae difficultates superandae erant. Operi inchoando obstabat vigens hodie passim inquilinorum lex, qua muniti plurimi demoliendarum domorum incolae, sine P. Antonii Stravino, Oeconomi nostri generalis Adiutoris, solertia, moras iam iam finiendas aut finitas in perpetuum protraxissent. Maximum vero remanet impedimentum, in quo removendo cunctorum opera et preces et industria prudensque caritas requiruntur. Est autem, quod omnes iam suspicamini, pecuniarum inopia. In hunc finem die 7 aprilis huius anni Sanctissimus Dominus sua Ipse manu longam scribere dignatus est commendationem (1), ab omnibus christifidelibus auxilia petiturus, quibus in tam magno aedificio perficiendo pro sua quisque facultate Sibi opitularentur. Hoc pontificium autographum, photographice expressum et in varias linguas translatum, quoquoversus diffundetur.

Aliud autem pontificium chirographum tribus ante mensibus, die 25 ianuarii, acceperat Sodalicium Gregorianum, inter antiquos Collegii Romani alumnos, ut nostis, erectum. Haec sunt verba:

“ Sodalicium Gregorianum eo spectat, ut quicumque in Sodalium numerum adscripti sunt, iam inter se cumque Athenaeo ipso coniunctiores existant, et quos ex communi fonte sanos hauserint spiritus, eos facilius tueantur uberiusque alant. – Lex Sodalicii Gregoriani, II. – Vere in his tota lex ipsa pendet... Quicumque haec fecerint, sint illi benedicti.

L. ✠ S.

Pius PP. XI
Sodalis Ipse et Sodalicii Tutor „.

(1) *Acta Rom.*, V (1925), pp. 249–250.

Summi Pontificis benevolentia.

8. – Verum, paterna Summi Pontificis in Societatem benevolentia non intra Urbis fines continetur. Nam Beatissimus Pater, ut minora omittam, Collegio quod nunc in urbe Kaunas, Lithuaniae principe, a Provincia Germaniae Inferioris construitur, quingenta millia libellarum dono dedit, quo citius et aptius opus perficiatur. – Foedus ad pueros catechesim in paroeciis docendos, quod sedem habet Chicagi in nostra Loyolaea Universitate (Prov. Missour.), nuper probatum habuit, edito die 5 augusti Brevi Apostolico, quo Foedus ad gradum Archisodalitatis evehitur, cum iure proprio alios similes coetus sibi aggregandi (1). – Nostros Episcopos Missionarios, fere omnes hoc anno ad limina Apostolorum venientes, benevolentissime excepit et de suae quemque Missionis necessitatibus loquentes intentis auribus audivit. – Scriptoribus periodici libelli hispanici " *Razon y Fé* ", litteris die 25 iulii datis (2), ex animo gratulatus est " quod, – Pontificiis fere verbis utor, – quinto et vicesimo appetente iam anno postquam, qui a fide et ratione apposite inscribuntur, menstrui Commentarii in lucem prodire coeperunt, sua simul nunquam intermissa proposita ac devotionis sensus impensissimae in Apostolicam Sedem significassent... " ; quodque " strenui Christi milites, quales Ignatii Loyoleai Legiferi alumnos esse decet, pro humana ratione simul ac fide divina, pro Dei legibus atque Ecclesiae iuribus doctrinisque, pro patriae item salute ac dignitate nunquam a religione seiungenda " dimicassent.

Nuper vero Beatissimus Pater, Exercitiis spiritualibus una cum suis aulicis Praelatis per hebdomadam vacaturus, duos e Nostris, P. Ambrosium Magni (Prov. Ven.) et P. Antonium Oldrà (Prov. Taurin.) ad ea explananda elegit.

Novae Exercitiorum Domus.

9. – Ministerium Exercitiorum ad leges S. P. Ignatii magis magisque, Deo favente, propagatur. In hunc finem in nonnullis Societatis Provinciis Exercitiorum novae Domus constitutae sunt: tertia a Patribus Neerlandicis in pago Spaubeek, die 10 februarii, sollemni ab Ordinario loci benedictione facta; in Provincia vero

(1) *Acta Rom.*, V (1925), pp. 264 sqq.
(2) *Acta Rom.*, V (1925), pp. 263-264.

Missouriana, secunda apud Milwaukee, tertia apud Detroit mox sequetur; tertiam item parat Provincia Marylandiae–Neo Eboracensis in Regione Novae Angliae. Ceterae duae Provinciae ex Assistentia Americae, California et Neo Aurelianensis, quae adhuc propria Exercitiorum domo carebant, hoc anno feliciter suam quaeque habere coeperunt. Ad Californiam autem quod attinet, modo prorsus inopinato et loco valde opportuno, in oppido Los Altos prope San Francisco, novae huius domus emendae occasio facta est; vir quidam externus et rerum peritissimus asserere non dubitavit situm novae domus esse totius Californiae pulcherrimum. RR. vero DD. Eduardus Hanna, Archiepiscopus Sancti Francisci, qui fassus est se diu desiderasse Exercitiorum domum in sua dioecesi habere, tanto studio eam promovere contendit, ut petierit sibi copiam fieri ei benedicendi eiusdemque dedicandae, cuius desiderio scilicet libentissime Nostri morem gesserunt.

Exercitiorum incrementum.

10. – Ceterum, opus Exercitiorum etiam extra Societatem novis ubique incrementis pollere videtur. In Germania, exempli gratia, ad 70 numerantur Domus Exercitiorum quae proprie vereque dicuntur; ad 155 et amplius aliae domus in quibus identidem Exercitia clausa traduntur: a mense iulio ad decembrem huius anni, 697 Exercitiorum cursus indicti sunt. – Nostri in tam salutifero ministerio, propter peculiares Germaniae res et rationes, adhuc primas partes non habent, sed praecipuus labor a Fratribus Minoribus praestatur, quorum periodicum " Neues Leben „ (*Nova Vita*), octo editionibus pro totidem Exercitiorum domibus emittitur et subnotatorum ad 30.000 habet. Minime tamen ab Ignatiano spiritu hoc Exercitiorum opus est alienum, praesertim postquam S. P. Ignatius per Constitutionem Apostolicam " Summorum Pontificum „ caelestis omnium Exercitiorum Patronus est renuntiatus. Quanti autem fiant Exercitia S. P. Ignatii ab ipsis Fratribus Minoribus vel ex hoc comprobari potest, quod anno proximo eorum Provinciae Guestfalo-Rhenanae Praepositus Nostros rogavit, ut per octo integros dies omnibus suis subditis, Patribus, Scholasticis, Fratribus, Exercitia traderent.

Maius quid et, divina favente gratia, magno cum fructu perfecit P. Albertus Goossens (Prov. Belg.), qui annis 1924 et 1925 in pago Lembecq apud Fratres a Scholis Christianis tertiam quandam probationem moderatus est pro quinquaginta circiter eorum

Superioribus vel futuris Superioribus e viginti diversis regionibus oriundis. Integris S. P. Ignatii Exercitiis cum religioso silentio per mensem more nostro traditis, reliquo anni tempore bis in hebdomada eos adibat, ut principia christianae asceseos traderet ed ad impensius vitae interioris studium animos bene ceteroquin dispositos excitaret, eorumque confessiones vel conscientiae rationem exciperet.

Huc item pertinet revocandum ministerium valde utile, quod ubique iure meritoque magni fit, et passim Nostris committitur, praesertim in Gallia et Belgio et Germania: recollectiones, inquam, sive menstruae, sive trimestrales, quibus sacerdotes, semotis negotiis, in aptam domum convenientes, ad munera apostolica ferventius in dies et sanctius obeunda opportunis commentationibus excitantur.

Societatis eiusque operum augmentum.

11. – Alia quoque Societatis opera, Deo favente, florescere non desinunt; multa etiam crescere videntur. Collegia praesertim (quod ante bellum non adeo frequenter fiebat), proximis annis, magna cum Societatis aestimatione et nostrorum ministeriorum desiderio, passim nobis offerebantur, quorum nonnulla tantum acceptari potuerunt: unum memorare liceat Collegium Lauretanum (Prov. Rom.) nuper apud almam Domum B. M. Virginis post sexaginta annos restitutum, quo priscae Societatis traditiones, in illa Mariana urbe iam inde a temporibus S. P. Ignatii penitus insitae, rursus reviviscent. — Quaedam item Seminaria maiora sive dioecesana sive regionalia operam nostram expostularunt. Quin immo in variis Americae Meridionalis nationibus Universitates nobis vel moderandae vel etiam erigendae oblatae sunt; quas quidem libentissimo animo susciperemus, quo facilius protestantismo, illas regiones subdolis artibus circumvenienti, aditum praecludere possemus; sed sicut iucundum est quod a nobis tam ardenter hi aliique labores expetuntur, ita dolendum quod propter hominum penuriam plerosque recusare debemus.

Et tamen plurimae agendae sunt Deo gratiae, quod nostram Societatem tantopere promovet, ut ex ipso *Societatis universae Prospectu* nunc in Catalogis Provinciarum edendo vidistis aut videbitis. Ex illo enim novimus nos ineunte anno 1925 fuisse omnino 19.176 id est 458 plures quam anno superiore. In quibusdam Provinciis, propter Novitiorum multitudinem, altera, ut nuper accidit in Provincia Missouriana, vel etiam tertia, ut in

Provincia Germaniae Inferioris, probationis domus adiecta est. In Missione Lithuana eiusdem Provinciae Germaniae Inferioris, etsi recens condita perpaucos Socios habeat, tanto adolescentes Societatis nostrae desiderio tenentur, ut hoc anno octo Lithuani tirocinium aggressi sint, nec abest spes fore ut peculiaris domus probationis in parva illa Republica brevi aperiri possit. Ex America Septentrionali autem iam nunc, nondum editis catalogis, nuntiant tirones amplius octoginta hoc anno in Societatem admissos esse in Provincia Marylandiae-Neo Eboracensi, in Provincia vero Missouriana septuaginta ; qui paene omnes e nostris Collegiis proveniunt. Alibi etiam, ut ex. gr. in Anglia et Belgio, Collegia Societatis sunt vera vocationum seminaria, non modo pro nostro Ordine, sed pro aliis quoque religiosis familiis ac clero saeculari: et hoc quidem nulla peculiari industria ad id adhibita, praeter assiduam alumnorum curam, intimum pietatis studium ac bonam disciplinam. Exemplo sint 86 vocationes ecclesiasticae hoc anno excitatae inter 404 alumnos rhetorices duodecim Collegiorum Provinciae Belgicae, id est 21 $^0/_0$; quae vocationes ita distribuuntur: ad Societatem 38, ad Seminaria dioecesana 26, ad alias religiosas familias 22. Eminet prae omnibus Collegium Turnholtanum, quod ex 37 rhetoricis ad Ecclesiae castra 22 mittit (idest 59 $^0/_0$), e quibus sex Societati nomen dederunt.

In exteris quoque Missionibus, etiam in iis quae nuper Societati commissae sunt, bonae vocationes excitantur : ut hoc afferam, ex Missione Patnensi (Prov. Missour.) primus novitius indigena die festo SS. Cordis vota emisit. Ex antiquioribus Missionibus, diutius a Societate excultis, Missio Madurensis tantam habet Novitiorum copiam — e solo Collegio Trichinopolitano S. Ioseph hoc anno sex ingressi sunt — ut iam de Domo probationis et Collegio NN. Shembaganorensi amplificandis agi debuerit, et revera nunc nova aedifici pars construi coepta est. In Missionibus autem fere omnibus, numerus neophytorum atque catechumenorum in dies augetur, in quibusdam mirum plane in modum: v. gr. anno superiore in Calcuttensi seu Bengalensi (Prov. Belg.) 50.000 catechumenorum habebantur, et 30.000 in Kwangensi eiusdem Prov. Belgicae. — Quod si alibi multo pauciores sunt hoc plerumque solum exiguo Missionariorum numero imputari debet, qui tantae messium colligendarum copiae non sufficit, ut in magna Madagascar insula (Prov. Tolos. et Camp.) passim conspicitur. Rogandus igitur Dominus messis ut mittat operarios in messem suam.

Missiones Orientales.

12. – Modestis Missionis Orientalis (Prov. Polon.) initiis quaedam hoc anno accesserunt incrementa: nam PP. Antonius Dabrowski et Marcellus Wysokinski, ambo e Provincia Poloniae, ad ritum orientalem transierunt; alii ad eundem ritum amplectendum se praeparant. Etiam extra fines huius Missionis, e Viceprovincia Cechoslovaca P. Vendelinus Javorka ritui graeco–slavico se adscripsit, secundum quem die 7 iulii, in festo SS. Cyrilli et Methodii, Missam primum celebravit hic Romae ad aram B. Mariae Virginis a Strata; et die 15 novembris, cum in basilica Vaticana coram Summo Pontifice magnifica haberetur commemoratio Concilii Oecumenici Nicaeni, inter eos sacerdotes qui cum Episcopis orientalibus Missam sollemni ritu graeco–byzantino concelebrabant, idem P. Javorka adnumeratus est: ut haec nova nostri apostolatus methodus in conspectum universae Ecclesiae adducta et ad sepulchrum Principis Apostolorum consecrata, firmiorem sanctioremque nancisceretur approbationem. — Item e Viceprovincia Jugoslaviae P. Stephanus Crisinus Sakać nuper orientalem ritum amplexus est. — In Graecia, cum RR. DD. Georgius Calavassi, Ordinarius pro Catholicis Orientalibus illarum regionum, primum sui ritus Seminarium Athenis aperiendum curasset, Societatis auxilium imploravit; nec frustra: nam Pater Noster, operis momentum persentiens, P. Ioannem Capello (Prov. Lugdun.) illuc mitti iussit.

In ditione Canadensi.

13. – Gratum sine dubio vobis erit accipere quanta sit Societatis existimatio apud externos in ditione Canadensi, quae quidem singulariter hoc anno, occasione beatificationis octo Martyrum, comperta est. Cum, enim accideret ut eodem tempore tercentesimus commemoraretur annus post primum Missionariorum Societatis (inter quos erat B. Ioannes de Brébeuf) in eas oras adventum, Episcopi trium Provinciarum ecclesiasticarum Quebecensis, Marianopolitanae et Ottawensis, praeeunte E.mo Card. Nazario Bégin, die 12 maii ad clerum et populum sibi commissum communes dederunt litteras, quae totae de Societatis laudibus agunt eiusque magna de Canadensibus merita extollunt, ac Beatos Martyres ceu Ecclesiae Canadensis patres et primitias celebrant. Die vero 28 iunii, eorundem Episcoporum iussu, in omnibus illarum dioecesium ecclesiis sollemnis Deo gratulatio habita est, non modo propter

concessos Martyribus Canadensibus Beatorum honores sed etiam propter invectam tunc primum in patrios fines Societatem. — Quebeci autem et Marianopoli (Montréal) in eundem finem iam praeoccupata erant sollemnia festa diebus 21–24 iunii, quibus uterque clerus civilesque auctoritates ac frequentissimus populus interfuerunt, allegoricis quoque pompis per urbanas vias perbelle deductis. Idem Cardinalis Bégin, Quebecensis Archiepiscopus, qui paulo post e vivis ereptus est, die Nativitatis S. Ioannis Baptistae, Canadae Patroni, Missae sollemni pontificali ritu adstitit, et Archiepiscopus Coadiutor opportuna verba fecit de hoc argumento: " Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua „ (Eccli. XLIV, 1). — Ipsi Magistratus civiles Provinciae et civitatis Quebecensis duo praegrandia numismata cudenda curarunt, inscriptis verbis: " Au bienheureux Jean de Brébeuf et à ses compagnons la Ville de Québec reconnaissante „ — " Au bienheureux Isaac Jogues et à ses compagnons la Ville de Québec reconnaissante „; eaque domui, quam ibidem habet Societas, dono dederunt. — Nec satis: nam die 7 novembris Consiliarii municipales Quebecenses uno veluti ore commune decretum ediderunt Summoque Pontifici et Praeposito Provinciali nostro exhiberi atque in publico tabulario condi iusserunt, quo erga Ecclesiam Catholicam et erga Societatem Beatosque Martyres nobilissimos sensus profitentes, se sollemni reliquiarum eorumdem Martyrum translationi ex officio interfuturos promittebant. Haec porro translatio, in diem 12 novembris indicta, triumphali more celebrata est, triginta circiter hominum millibus religioso silentio insignique pietate sacra lipsana stipantibus. — In Statu Ontario prope flumen Wye, ubi Huronum pagus Sanctae Mariae quondam erat, quo die Romae Martyres Canadenses Beati renuntiabantur, RR. DD. Nilus Mac Neil, Archiepiscopus Torontinus, coram sex millibus hominum Missam sollemnem sub dio celebravit, et parvum dein monumentum dedicavit ad honorem Beatorum Ioannis de Brébeuf et Gabrielis Lalemant, qui illum locum atrocissimo suo martirio olim consecrarunt. — Tanto populorum zelo, e caelo praesens Beatorum Martyrum favor respondere videtur: nam rumor haud levis iam serpit de nonnullis sanationibus eorum intercessione mire factis; quare die 24 novembris a Sacra Rituum Congregatione agitata est quaestio de hac causa resumenda in ordine ad canonizationem; quam " reassumptionem „ Summus Pontifex postridie benigne decrevit.

Festa Canisiana.

14. — Similia narrantur de honoribus novo Doctori Ecclesiae S. Petro Canisio in Germania, Austria, Hollandia magna catholicorum consensione praestitis. Ut praecipua commemorem, Noviomagum (Nijmegen, Prov. Neerl.) splendido apparatu clarissimum civem suum celebravit, tribus Patribus Purpuratis festa cohonestantibus. Mense octobri Coloniae (Prov. Germ. Inf.) Viennae (Prov. Austr.), Monachii (Prov. Germ. Sup.), Cardinales Archiepiscopi, cum sacras caeremonias variis in templis peragendo, tum orationes panegyricas ad frequentissimum populum habendo, integram hebdomadam alteri Germaniae Apostolo dicandam curarunt, non quasi privatis tantum Societatis festis interessent, sed ita ut publicas suarum civitatum sollemnitates per se ipsi promoverent et regerent.

Magna ubique fuit ad verbum Dei audiendum et ad Sacramenta recipienda hominum frequentia, sed maxima Monachii, ubi ad 200.000 computati sunt qui in nostro templo S. Michaelis, a Sancto Canisio olim condito, caeremoniis octiduanis a die 18 ad 25 octobris interfuerunt. Singulis diebus mane Communio generalis cum sermone habebatur pro variis hominum condicionibus secundum ordinem praestitutum : seni vel septeni sacerdotes sacram Synaxim per integram horam distribuebant. Missa deinde pontificali ritu cum concione quotidie celebrabatur. A meridie vero peculiares habebantur devotiones pro variis civium coetibus: die sibi assignato circiter decem millia puerorum accurrerunt, et Sanctum Catechismi Magistrum ingenua pietate venerati sunt. Vespere autem Emus. Card. Archiepiscopus Michael de Faulhaber apud ingentem multitudinem amplam ecclesiam stipantem quotidie per horam de novo Sancto concionabatur, eum describens et admirationi populorum demonstrans ut apostolum, ut fidei defensorem, ut patrem iuventutis, ut Doctorem, ut catechistam, ut morum restauratorem, ut sodalem Societatis Iesu, denique ut Sanctum. Praeter hos zelantissimi Pastoris vere apostolicas orationes, plurimos ad nostram ecclesiam alliciebant insignes S. Petri Canisii reliquiae, quae, ut superioribus litteris dictum est, a Patre Nostro Summo Pontifici oblatae, ab ipso Summo Pontifice Archiepiscopo Monacensi dono datae erant illisque diebus in mensa prope chorum exponebantur, sodalibus Congregationis virorum honorarias excubias interdiu ante eas agentibus.

Has reliquias Emus. Cardinalis in Ecclesia S. Michaelis servanda Societati commisit, " quamdiu Patres illius templi curam habebunt „.

Quod autem pro Societate paulo ante concessum fuerat ut festum Sancti Doctoris ad ritum duplicem secundae classis eveheretur, hoc petentibus Episcopis pro tota Germania nuper indultum est. Nec desunt Dioeceses quae Canisium alterum suum Patronum eligere studeant, ut hisce diebus nuntiatum est evenisse in Dioecesi Brixinensi.

Mensibus aestivis Aquisgranae (Prov. Germ. Inf.) habita est Expositio Canisiana, reliquias, scripta, libros, imagines et id genus alia ad Sanctum Doctorem pertinentia exhibens. Occasionem praebuit creberrima peregrinatio hoc anno instituta in honorem Reliquiarum insignium quae in illa Cathedrali ecclesia inde a temporibus Caroli Magni asservantur quaeque septimo quoque anno venerationi fidelium proponi solent. Cum, bello interveniente, ab ultima exhibitione sexdecim anni elapsi essent, magna hominum frequentia exspectabatur. Nec spem fefellit eventus: nam, ut de rebus nostris solum loquamur, quadraginta quinque hominum millia Canisianam Expositionem inviserunt, quae, aptissimum locum invenerat in superiore contignatione ecclesiae olim nostrae S. Michaelis, ibique aliqui e Nostris ad res declarandas semper praesto erant. Non est dubium quin S. Petrus Canisius ita magis innotuerit et maiori venerationi iam habeatur etiam a multis, qui forte hucusque vix quidquam de eo audierant. — Nec silentio premendum est id quod rusticani pagorum Horn et Baexem (Hollandia) pro sua in Societatem dilectione et ingenua pietate, sane non sine sacrificiis haud spernendis, praestiterunt: excelsam enim S. Petri Canisii e lapide statuam domui nostrae Exatensi (Prov. Germ. Inf.) dono dederunt, et die 13 octobris magna omnium gratulatione in media area collocarunt. — Denique memoria dignum putamus Rectorem Universitatis Lovaniensis in Belgio, RR. DD. Paulinum Ladeuze, in sollemni studiorum instauratione, S. Petrum Canisium olim illius Athenaei alumnum honorificis verbis commemorasse.

Societatis impugnationes.

15. – Tot inter sincerae amicitiae et magnae benevolentiae signa Societati variis locis exhibita, multos etiam nobis adversarios ubique haberi recordemur oportet; non ut contra eos ullum invidiae sensum foveamus, sed quo cautiores simus et irre-

prehensibiles nos exhibere in omnibus curemus, pro inimicis quoque ex animo orantes. - In Germania, ipsi honores Sancto Petro tributi Protestantium iram vehementius in nos incenderunt: nulla fere elabitur hebdomada quin ephemerides acatholicae in Nuntium Apostolicum, in Iesuitas, in " psychosim Canisianam „ acriter invehant. – Libellorum colluvies quos ficto nomine *Recalde* quoquoversus diffundi saepe commemoravimus, nunc seminaria quoque ecclesiastica religiosasque domos invadit; novos in dies libellos gratuito mitti rescivimus, quorum auctores totam nostram historiam in malam partem detorquentes, omnia nostra rimantur, ut quidpiam nobis dedecori imputandum inveniant et propalam in vulgus spargant. – Instantius igitur orandum ut subdola haec persecutio magis magisque quidem, ut ex Dei providentia assolet, Societatem purificet, sed nullum detrimentum bonae eius existimationi inter fideles afferat, siquidem omnimodae honestatis fama apostolico cuique coetui prorsus necessaria est.

Capuccinorum erga Patrem Nostrum obsequium.

16. – Grati animi causa, hisce litteris consignandum puto id observantiae quod optimi Fratres Minores Capuccini Patri Nostro exhibere voluerunt. Cum enim Scholastici huius Ordinis prope nostram villam Tusculanam rusticari soleant, Pater Noster die 27 augusti invitatus est ut eorum mensae accumberet. Tota earum communitas eum cum P. Assistente Italiae ad se venientem comiter et reverenter excepit, et tempore prandii amabilissima simplicitate omnibus hospitalitatis officiis cumularunt. Nec defuerunt cantus et alloquia, quorum hac summa fuit: Societatem de universo Capuccinorum Ordine optime meritam esse, eo quod complures huius Franciscanae Familiae magistri e Pontificia Universitate Gregoriana ingentem sacrae scientiae thesaurum hausissent, quem deinde discipulis suis gratam hereditatem una cum Societatis aestimatione transmitterent.

Quae tam sincero candidoque animo dici cernebantur, ut Pater Noster deinde affirmaret, se nunquam tantae caritatis et benevolentiae obliturum; immo Societatis nomine amplissimas gratias Ordinis Moderatoribus rependere eo quod tot tamque diligentes alumnos Universitati Gregorianae dedissent, qui honor et decus ipsius Athenaei iure meritoque haberentur. Quae quidem laus adamussim veritati respondere novit quisquis Universitatis annales et fasta percurrit.

Cruenta mors P. Pauli Geny.

17. – At, pro rerum humanarum conditione, non semper laeta iidem Universitatis Gregorianae annales referre possunt, nec fas est fideli narratori tristia praetermittere. Duorum Provinciae Romanae Scholasticorum, quos initio vacationum aquae cuiusdam lacus absorbuerant, nondum erat luctus depositus, cum ecce die 12 octobris repentinus tota Urbe diffunditur rumor P. Paulum Geny (Prov. Camp.) philosophiae Lectorem, dum per viam tranquille incederet, a quodam milite (qua de causa nondum constat) gladio perfide invasum occubuisse. Narrarunt postea fortuiti quidam sceleris testes sacrilegum homicidam, qui aliquantum a longe Patris vestigia secutus erat, ex improviso educto ense ei a tergo ingens vulnus intulisse et statim, dum fugae se committeret, a custodibus deprehensum, in carcerem deductum esse; Patrem vero, cum se mori persensisset, de sola anima sua sollicitum extremam morientibus labris edidisse vocem: " Vocate mihi sacerdotem „. Ad nosocomium S. Iacobi a ministris publicis illico transvehitur, sed paene mortuus eo pervenit et paulo post, sacramentali absolutione et Sacro Oleo munitus, animam Deo reddidit aetatis anno 54, Societatis 34.

Difficile dictu est quantum tota Urbs hac nece commota sit: omnes ephemerides cuiuscumque partis longos articulos in laudem Patris ediderunt. Plurimi, praesertim e clero, sive scripto sive voce proprium moerorem cum nostro miscere voluerunt: Cardinalis Petrus Gasparri, a Secretis Status, hac de causa nostram domum venit et Patri Nostro eiusmodi sensus pandit; Cardinales Laurenti, Frühwirth, Ragonesi, alii, idem Rectori Universitatis Gregorianae praestiterunt. Quod pluris est, ipse Summus Pontifex, datis ad Patrem Nostrum litteris (1), Societatem solari et occisum Patrem laudibus extollere dignatus est, suis quoque suffragiis eius animam Se adiuturum promittens.

Eadem animorum consensio apparuit cum postridie Patri Geny in nostro templo S. Ignatii parentatum est. Funebria quidem modestissimo Societatis more peracta sunt, sed plurimi sponte omnino una nobiscum suprema ei dilectionis signa exhibere voluerunt. Die vero ab obitu trigesimo alumni Universitatis Gregorianae sollemnes exsequias carissimo magistro persolverunt.

(1) *Acta Rom.*, V (1925), p. 269.

Duo Congressus Nostrorum.

18. – Duo superioribus mensibus Romae habiti sunt Nostrorum conventus: alter Moderatorum Nuntiorum SS. Cordis, alter Missionum. Ex Moderatoribus Nuntiorum fere triginta advenerant, et a die 15 ad 20 septembris apud templum SS. Nominis Iesu, Patre Nostro praeeunte, de Apostolatu Orationis aliisque operibus adnexis summo animorum consensu inter se egerunt; omniumque sententia fuit oportere omnino ut viribus iunctis ad nobilissimum scopum cuncti simul conspirarent. Ex iis, quae tunc relata sunt, clare apparet Apostolatum orationis mirifice ubique propagari, ab Episcopis bene multis impense foveri, optimos sanctificationis fructus nullibi non afferre.

Conventus Missionum, a R. P. Assistente Americae diligentissime praeparatus, a die 5 ad 9 octobris in Curia nostra celebratus est, cui praeter Patrem Nostrum et Patres Curiae addictos, interfuere singuli ex singulis fere Provinciis delegati, qui magno animarum zelo neque minori caritate et prudentia utilissimas industrias proposuerunt sive ad Missionarios nostros melius formandos et iuvandos sive ad studium Missionum in populo christiano magis magisque inflammandum. *Acta* huius conventus, quae nunc eduntur, multa et pulchra de nostris Missionibus et de rationibus eas fovendi docebunt. Nec dubium est quin Missiones nostrae uberes ex hoc conventu fructus brevi sint percepturae; iam nunc vero hinc saltem conspicient, quantum Patri Nostro universaeque Societati cordi sint, quantum a Provinciis diligantur, cum nulli sacrificio parcendum esse omnes duxerint, quo maius earum bonum promoveatur. Ut autem etiam in nostra Curia impensior de Missionibus cura habeatur, P. Eduardo Goulet, iampridem Secretario Missionum constituto, P. Hermannus Haeck (Prov. Belg.) adiutor est datus.

Res scientificae.

19. – Alium nostrorum conventum commemorare operae pretium existimamus, conventum, inquam, sismologicum in Universitate Loyolaea Chicagensi (Prov. Missour.) tempore vacationum celebratum, cui omnes Nostri sismologi ex Assistentia Americae adfuerunt. Hi, collatis consiliis et Praepositis Provincialibus valde faventibus, foedus scientificum nomine " Jesuit Seismological Association " inter se inierunt, cui praeest P. Rector Universitatis Loyolaeae Neo–Aurelianensis, secretarii munere fungente

P. Iacobo B. Macelwane (Prov. Missour.). Stationem quoque sismologicam centralem in Universitate S. Ludovici eiusdem Provinciae Missourianae instituendam eidem Patri Macelwane commiserunt, qui magnum opus magna alacritate aggressus est.

Ad rem scientificam simul et maiorem Dei gloriam promovendam pertinet etiam optima et pulcherrima omnium operum celeberrimi catholici philosophi hispani Iacobi Balmes editio, studio praesertim et solertia P. Ignatii Casanovas (Prov. Arag.) suscepta et ad exitum magnis itineribus properans: triginta quatuor voluminibus constabit, e quibus viginti iam prodierunt, omnium eruditorum plausu excepta. Quanti autem haec editio ad rem catholicam fovendam fieri debeat, Summus Pontifex, litteris die 9 octobris ad eundem P. Casanovas benignissime datis (1), luculenter ostendit, sedulum editorem et Balmesianam Bibliothecam dilaudans, atque religiosissimi auctoris sacerdotales virtutes extollens, quippe qui, " consummatus in brevi (trigesimo octavo enim aetatis anno obiit) expleverit tempora multa „ et " purissima Ecclesiae Romanae atque Catholicae Hispaniae gloria „ evaserit.

Novae Provinciae etc.

20. – Ad Societatis gubernationem ut veniamus, iam vobis allatae sunt Patris Nostri litterae, pridie kalendas iunias huius anni datae, quibus Domus maiores designantur et quibusdam Missionibus tribuitur ius ad Generalem et Provincialem et Procuratorum Congregationem, secundum normas a novis Congregationum Formulis statutas. Ita fiet ut ad proximam Congregationem Generalem, praeter Provinciarum Electores, sexdecim saltem Missionum Procuratores adventuri sint.

Cum in Provincia Poloniae simul cum ingenti territorii amplitudine Sociorum quoque negotiorumque numerus in dies augescens maior esset, quam ut ab uno Provinciali facile regi possit, die 10 octobris peculiaris Superior pro regione meridionali, Polonia Minore nuncupata, est constitutus, qui, auctoritate et nomine Viceprovincialis, sed pendens etiam nunc a Praeposito totius Provinciae, eam partem ipse moderetur. – Eadem de causa eademque ratione, die 1 novembris pars Provinciae Missourianae, quae in Statu Ohio sita est, peculiari Superiori, Viceprovinciali item appellato, commissa est immediate regenda. Itaque hae duae

(1) *Acta Rom.*, V (1925), pp. 268-269.

Provinciae interim nondum dividentur, sed earum divisio hoc modo praeparatur.

Missio in Insulis Carolinis et Marianis et Marshall, quae hucusque, a Provinciis Hispanicis communi hominum et pecuniae ope adiuta, nulli tamen earum subiecta erat, inde a die 6 novembris a Provincia Baetica pendet.

Hodie vero, auspicatissimo Immaculatae B. M. V. Conceptionis festo die, duabus novis independentibus Viceprovinciis gaudet Societas nostra: nam cum Missiones Brasiliae Centralis et Meridionalis, a sua quaeque Provincia Romana et Germaniae Superioris, diuturnis assiduisque curis excultae, eo prosperitatis devenerint ut sibi ipsae consulere posse videantur, cumque ex diligentissimis relationibus R. P. Marcelli Renaud (Prov. Mexic.), earum Missionum Visitatoris, hoc maiori Societatis in immensis Brasiliae regionibus incremento futurum esse colligeretur, die 17 octobris decrevit Pater Noster illas Missiones sui iuris facere, et Viceprovinciarum nomine ac iuribus insignire; quae decreta, hodie usitato more promulgata, vim plenam obtinent. Eae autem sunt praesentes Brasiliae condiciones, tantaque ibi Ecclesiae Catholicae renovata vis ac novus vitae christianae fervor, ut non temere speretur fore ut hae Viceprovinciae in veras propriique nominis Provincias, non sine magna rei publicae et christiani nominis utilitate, brevi succrescant.

Visitationes Provinciarum et Missionum.

21. – Visitatorum praesentia hoc anno nonnullae ex Missionibus recreatae sunt. Suum Zambesim R. P. Gulielmus Bodkin, Prov. Angliae Praepositus, per annum fere integrum (sept. 1924–sept. 1925) peragravit, quod nunquam eius decessores facere potuerant. Armeniam, Syriam, Aegyptum (Prov. Lugd.) a mense octobri ad mensem martium R. P. Norbertus de Boynes perlustravit; Albaniam (Prov. Ven.) P. Antonius Stravino, Oeconomi generalis Adiutor, mensibus martio et aprili. Mox Neapoli solvet in Indiam R. P. Ferdinandus Willaert, Provinciae Belgicae Praepositus, praeter suas Calcuttensem et Gallensem Missiones, etiam Trincomaliensem (Prov. Camp.) visitaturus.

Provinciarum vero visitationes, tantisper intermissae, nullae post Congregationem Generalem huc usque habitae erant; nam R. P. Rudolphus van Oppenraaij, Germaniae Assistens, mense maio Viceprovinciam Jugoslavicam fere totam rapido cursu invi-

sit quidem, sed non " visitavit „. At mense novembri exeunte, R. P. Henricus Carvajal, Societatis Secretarius, Visitator Provinciae Baeticae renuntiatus est et nunc iam in Hispania versatur.

Quod quidem etiam ideo ad finem huius epistolae reieci, quo minus admiremini non eius nomen hisce litteris subscribi.

Commendo me vestris SS. SS. et orationibus.

Romae, die 8 decembris 1925,
in festo Immaculatae Conceptionis B. M. V.

Vestrum omnium servus in Xto.
HILARIUS AZZOLINI
Vicesecr. Soc. Iesu.

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

I.

DE S. PETRO CANISIO ECCLESIAE DOCTORE RENUNTIATO

(21 maii 1925)

Magna profecto laetitia ab omnibus Societatis filiis excepta est Summi Pontificis sententia, qua Petrus Canisius, insigne illud Ignatianae familiae decus et strenuus Germaniae Apostolus, eodem die 21 maii anni 1925, Sanctus simul et universalis Ecclesiae Doctor edicebatur. Sed apud quosdam aliquid etiam admirationis cum laetitia permixtum fuisse, mirum sane non est: Canisius enim ab omnibus quidem Apostolus et Sanctus agnoscitur; ut scriptor vero non tam multis innotescit. Quapropter, dum in Germania Sancti Doctoris *Opera omnia* rursus edenda curant Nostri, non ingratum nec inutile erit praecipua hic documenta et testimonia congerere, quae Canisium qua Magistrum et Doctorem illustrent, et ad eius doctoratum declarandum quinam gressus facti sint prae oculis ponant.

Praemisso igitur *Elencho Operum* Sancti Doctoris cum quibusdam testimoniis de singulis praecipuis operibus, referemus deinde ampliora et universaliora *testimonia* de eius doctrina et magisterio sive a Summis Pontificibus sive ab aliis insignis notae viris ad haec usque tempora prolata, inter quae peculiarem dabimus locum *Votis duorum theologorum* a S. Rituum Congregatione cum de doctoratu ageretur ex officio designatorum, e quibus Votis selectos quosdam locos exscribemus. Haec excipient cum *Litterae Patris Nostri* ad Summum Pontificem hac de re datae, tum excerpta ex aliis *Litteris Postulatoriis* vel saltem no-

mina Praesulum aliorumque virorum aut coetuum, qui tales litteras dederunt.

Ex tot tamque variis atque et tempore et loco tam dissitis testimoniis unicus veluti concentus unaque vox efficitur: " S. Petrus Canisius dignissimus est qui in praenobilem universalis Ecclesiae Doctorum consessum evehatur „. Hunc concentum, hanc vocem audivit et supremo suo verbo complevit Summus Christi Vicarius, cum ex Petri cathedra inter canonizationis sollemnia eum Ecclesiae Doctorem renuntiavit.

Elenchus operum S. Petri Canisii.

NOTAE: 1) Desumitur hic Elenchus praecipue ex SOMMERVOGEL " *Bibliotèque de la Compagnie de Jésus* „ vol. II, columnis 617–688, additis vel emendatis quibusdam ex BRAUNSBERGER " *Epistulae et Acta B. Petri Canisii* „ (vide infra), attento etiam eiusdem Patris articulo in " *Gregorianum* „ an. 1926, fasc. I, pp. 244–247.

2) Brevitatis causa, singula opera saepe *titulo quodam compendiario* indicantur; et quandoque solum latine exprimitur titulus germanicus.

3) *Opera maiora*, crassioribus characteribus designata, testimoniis quibusdam Pontificum et theologorum illustrare curavimus.

1. *Sermones et Opera ascetica Ioannis Tauleri O. P.* — Coloniae, 1543.
   Repertum est exemplar a P. Braunsberger S. I. circa an. 1890: deest primum folium ac proin titulus; in epistola dedicatoria est subscriptio " Petrus Noviomagus „ d. Coloniae, 3 iun. 1543. — Est primus liber typis impressus a sodali Societatis Iesu.

2. *Divi Cyrilli Archiepiscopi Alexandrini Opera omnia.* — Coloniae, 1546.
   " ... Praeter alia complura nova, recens accessere undecim libri in Genesim numquam antea in lucem editi... „ (ita dicitur in ipso titulo). — Tomi tres.

3. *Divi Leonis Magni Papae Opera omnia.* — Coloniae, 1546-1547.
   Ipse S. Doctor asserit haec opera altera iam vice summa cum diligentia ad antiquissima exemplaria fuisse omnia castigata et aucta; cum vero Lovanii anno 1566 iterum edita sunt, duplici indice ea ornavit.
   Operibus S. Pontificis a Canisio editis praemittebatur *Vita S. Leonis*, quam Bollandistae magno suo operi " Acta Sanctorum „ inserendam selegerunt (Aprilis, vol. II, die 11).

4. *De consolandis aegrotis, praesertim ubi de vitae periculo agitur.* — Viennae in Austria, 1554.
   In usum sacerdotum et ministrorum, qui circa aegros versantur in hospitali Regio, Viennae Austriae. — Hic libellus bis editus est.

5-7. **Summa Doctrinae Christianae** seu **Catechismus**. — Viennae, 1554.

"Potest hic liber [*Sanctus ipse loquitur in sua « Autobiographia »*] **maior Catechismus** appellari, ut rectius discernatur a **minore**, imo et a **minimo**, quos ambos libellos in gratiam rudiorum postea evulgavi „.

De tribus his Catechismis praestat D. FRANC. DE WYELS O. S. B., *alterius e theologis ex officio in causa de doctoratu, verba referre :*

" ...Iam anno 1556 Canisius, suppresso nomine, latine ediderat « Minimum Catechismum » pro pueris et rudibus, quem, germanice translatum et adhuc suppresso nomine, anno 1558 edidit in lucem. Anno 1557, hortantibus Professoribus Lovaniensibus coepit ex « Summa » seu Catechismo maiore extrahere « Parvum Catechismum catholicorum » medium scilicet inter Summam et Minimum, ad usum praesertim gymnasiorum. Prodiit anno 1558 vel 1559. Sub hac triplici forma decies centena millia exemplarium divulgata fuerunt. Spatio centum annorum plus quam 400 editiones habuit in omnibus linguis Europae, imo in lingua graeca, iaponensi, sinensi, aethiopica et in aliis idiomatibus minus notis. — In margine notavit 2000 textuum S. Scripturae et 1200 citationes Patrum... „.

("Positio super titulo Doctoris etc.„ pp. 37 et 39).

PIUS IX, *in Brevi beatificationis, die 2 augusti 1864, his verbis laudat « Summam » Canisii :*

" ...Per libellos erroribus refertos dispergi venenum cum cerneret, opportunum adhibere remedium cogitavit, Summam catholicae doctrinae conscribendo, idque operis tam enucleate, tam dilucide, ac presse confecit, ut ad erudiendos catholica veritate populos, in eaque confirmandos nihil eo libello accommodatius; isque proinde et probatus et exceptus ab Episcopis ac theologis fuit communi cum plausu, et in bonum animarum undequaque diffusus... „.

LEO XIII, *in Encyclicis litteris « Militantis Ecclesiae » diei 1 augusti 1897, de eadem « Summa » haec habet :*

" ...Mirum autem quantum in eam rem profuit, ne errorum laqueis imperiti caperentur, edita ab ipso catholicae doctrinae Summa, densum opus ac pressum, nitore latino excellens, Ecclesiae Patrum stylo non indignum... ».

De utroque vero catechismo minore, idem Pontifex summum hoc encomium ibidem habet :

" ...Huic praeclaro operi, quod in omnibus paene Europae regnis ingenti plausu a doctis exceptum est, mole cedunt, non utilitate, celebratissimi duo illi catechismi, in rudiorum usum a beato viro conscripti, alter imbuendis religione pueris, alter erudiendis ipsa adolescentibus, qui in litterarum studio versarentur. Uterque, ubi primum editus est, tantam catholicorum iniit gratiam, ut omnium fere manibus teneretur qui christianae veritatis elementa traderent, neque in scholis tantum, veluti lac pueris sugendum, sed publice in communem utilitatem explicaretur in templis. Quo factum est ut Canisius per annos tercentos communis catholicorum Germaniae magister habitus fuerit, utque in populari sermone

duo haec plane idem sonarent, Canisium nosse ac veritatem christianam retinere... „.

Pius XI, *in Bulla canonizationis, die 21 maii 1925 :*

" Nullum vero Beati Petri Canisii opus ubique gentium tantam habuit famam, quantam iure meritoque collegit eius *Summa doctrinae christianae.* Cum enim in Universitatibus Ingolstadiensi et Vindobonensi sacram theologiam doceret, persenserat Canisius huius libri necessitatem; facile igitur Ferdinando Imperatori, id ipsum hortanti, dociles praebuit aures, et anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto pro academiis primum et scholis superioribus suam edidit *Summam*, maximo Episcoporum et Theologorum plausu nec minore Ecclesiae utilitate. Dilucide et presse confectus, genuinum catholicum magisterium nusquam non exprimens, dici vix potest quantum ad clericos recte instituendos et ad errores refellendos hic liber ad nostra fere usque tempora iuverit. Aequalem, ne dicamus maiorem, doctissimo Auctori pepererunt famam minores et minimi, qui vocantur, *Catechismi*, ex *Summa*, pro scholis inferioribus et pro parvulis elementarium scolarum discipulis, opportune excerpti. Vivo Canisio bis centies huiusmodi libelli editi sunt, et innumeris propemodum editionibus post eius mortem in vulgus diffusi, non in Germania solum, sed in tota fere Europa, in viginti circiter linguas translati „.

(*Acta Ap. Sedis*, 1925, p. 354).

Idem Pontifex, in Homilia inter canonizationis sollemnia :

" Ubi autem sibi adesse praesenti et alloquenti non licuit, illuc scripta sua pervenerunt, mirabilis ille praesertim *Catechismus*, qui, in omnes paene linguas conversus atque in totum terrarum orbem, inque eas regiones potissimum quibus extremum haeresis periculum immineret, invectus, germanae catholicae doctrinae peperit victoriae laetitiam „.

(*Acta Ap. Sedis*, 1925, p. 217).

Praeter tres Catechismos supra recensitos, editum est Coloniae (1569-1570 a P. Petro Busaeo S. I., Canisio multum adiuvante, magnum " *Opus catechisticum* „ seu *Auctoritates Sacrae Scripturae et SS. Patrum, quae in Summa Doctrinae christianae citantur.*

8. *Latinae Grammatices Rudimenta ab Hannibale Codretto edita* in linguam germanicam vertit P. Canisius quibus capita Christianae doctrinae subiunxit. — Ingolstadii, 1556.

   Quater sunt edita.

9. *Lectiones et precationes ecclesiasticae.* — Ingolstadii, 1556.

10. *De dissolutione colloquii Vormatiensis.* — Sine loco, circa an. 1558.

    Lingua germanica conscriptum.

11. *Libellus pro pueris pauperibus in Bohemia litteris imbuendis.* — Sine loco, circa an. 1559.

12. *Versio germanica libelli de Ecclesia a Cardinali Stanislao Hosio latine conscripti.* — Dilingen, 1559.

13. *Item, trium dialogorum ab eodem Cardinali latine compositorum.* — Dilingen, 1559.

14. *Betbuch* (*Liber precum*). — Dilingen, 1560.
Decies editum, cum multis imaginibus.

15. *Martyrologium. Der Kirchen Kalender.* — Dilingen, 1562.
Quater editum.

16. *Epistolae B. Hieronymi.* — Dilingae, 1562.
Quadragies sunt editae; versio quoque italica nota est.

17. *Hortulus animae. Der Seelen Garten.* — Dilingen, 1563.
Liber precatorius medii aevi, Canisii cura castigate denuo editus, et deinde saepius.

18. *Institutiones et exercitamenta christianae pietatis.* — Antuerpiae, 1566.
Sexies sunt edita, et etiam in germanicam linguam translata.

19. *Beicht und Communionbüchlin.* — Dilingen, 1569.
Libellus pro Confessione et Communione saepe editus et etiam bohemice versus.

20. *Conciones de Adventu et Nativitate Domini.* — Dilingen, 1570.
Germanica lingua conscriptae et saepius editae.

21. *Epistolae et Evangelia quae Dominicis et Festis diebus de more catholico in templis recitantur.* — Dilingae, 1570.
Fere vicies edita, cum summariis et imagunculis; et etiam germanice impressa.

22. **Commentariorum de Verbi Dei corruptelis liber primus**: *In quo de Sanctissimi Praecursoris Domini* **Ioannis Baptistae** *Historia Evangelica, cum adversus alios huius temporis sectarios, tum contra novos Ecclesiasticae Historiae consarcinatores sive Centuriatores pertractatur.* — Dilingae, 1571.
Quinquies editus: bis solus, ter simul cum libro secundo qui est de B. M. V. (vide infra).

P. Ed. Hugon O. P., *theologus primus ex officio, in suo « Voto » de doctoratu*:

"... B. Canisius in hoc opere acutum et doctissimum polemistam se prodit, qui Centuriatores magna eruditione confutat, et praecipua dogmata

christiana invicte defendit. Sufficiant nonnulla indicare... Inter alia praestat caput XI, ubi et verbis Ioannis Baptistae et verbis Christi Domini et sententiis Patrum, B. Canisius demonstrat necessitatem bonorum operum, disserendo de bonis operibus non praeceptis, de operibus decalogi, de fructibus poenitentiae, de doctrina satisfactionis, de carnis mortificatione, de virginitate, de virtutibus Patrum in deserto... Tractatus ille contra Novatores dici potest absolutus, in quo tota quaestio de iustificatione exhauritur... „.

(" Positio super titulo Doctoris etc. „ pp. 16-17).

P. D. Franc. de Wyels O. S. B., *theologus secundus ex officio, in suo « Voto » de doctoratu:*

" ... Ut facile patet ex praefatione, veneranda persona Praecursoris Domini nonnisi occasio fuit Canisio suscitandi omnes quaestiones maxime actuales et flagrantes, nominatim de ieiunio, de poenitentia christiana, de necessitate satisfactionis, de catholica notione sanctitatis, de fide quae iustificat et generatim de iustificatione, de cultu reliquiarum, de miraculis etc. — " Liber primus de corruptelis Verbi Dei summo plausus alutatus fuit ab universa Ecclesia. Ipse Pius V congratulari fecit auctori eique indulgentiam plenariam concessit. Cardinalis Hosius non dubitavit proclamare opus illud dignum esse Sanctis Patribus et Doctoribus Ecclesiae. Salmeron misit epistolam Canisio, in qua celebrat eius librum, tanquam redolentem « reconditam eruditionem, Patrum diligentem lectionem, spectabiles cum haereticis congressiones, orthodoxam Verborum Dei interpretationem... ».

(" Positio etc. „ p. 46).

23. **De Maria Virgine incomparabili et Dei Genitrice Sacrosanta,** *libri quinque: Atque hic secundus Liber est Commentariorum de Verbi Dei corruptelis, adversus novos et veteres Sectariorum errores, nunc primum editus.* — Ingolstadii, 1577.

Quater editus: semel solus, ter simul cum libro de S. Io. Baptista (vide supra). — Praeterea hoc Canisianum opus habetur etiam in *Summa aurea de laudibus Beatissimae Virginis Mariae* edita apud Migne (tt. VIII et IX), Parisiis, 1862.

Pius XI *in Bulla canonizationis haec habet:*

" ... Secundum autem volumen, quod in Beatae Mariae Virginis laudibus totum versatur, integram eamque copiosissimam de Deipara doctrinam complectitur, e Sacris Litteris et Catholica traditione desumptam. Per octingentas hasce paginas, praeter exquisitam scientiam, tenerrima qua Beatus Petrus flagrabat pietas in « Mariam Virginem incomparabilem et Dei Genitricem sacrosanctam » (ut eius verbis utamur) ingenuo quodam candore effunditur... „.

(*Acta Ap. Sedis,* 1925, p. 353).

P. Ed. Hugon O. P., *primus theologus ex officio, in suo « Voto » de doctoratu:*

"... Vocari potest Mariologia completa, in qua B. Mariae Virginis dignitas, praestantia, gloriae omnes, tum contra Novatores vindicantur, tum in seipsis exponuntur et probantur... „.

("Positio etc. „, p. 18).

P. D. FRANC. DE WYELS O. S. B., *secundus theologus ex officio :*

"... Tractatus Canisii « De Maria Vergine » describitur a Cardinali Hosio ut « opus Marianum excellentissimum, in quo tam dilucide, fuse atque egregie disseritur de B. M. Virgine, ut vix quisquam sit a quo magis fuerit illustrata ». Theologus recentior Dr. Scheeben, vocat illud « apologiam classicam totius doctrinae catholicae de Beata Virgine ». Inter alia privilegia B. M. Virginis Canisius in hoc opere validis argumentis etiam propugnat Immaculatam Conceptionem et Mediationem universalem. Notat idem Scheeben Canisium in hoc solo opere citasse circiter 4000 textuuum Sacrae Scripturae, plusquam 100 ex Tertulliano, 170 ex S. Ioanne Chrysostomo, 200 ex S. Bernardo, 235 ex S. Ambrosio, 280 ex S. Hieronymo, 670 ex S. Augustino, quod solum iam ostendit quantopere praeoccupatus fuerit de vera invenienda et instauranda Traditione catholica, secundum illud quod supra retulimus ex Epistola Dedicatoria primi libri: « Ex Patrum magis quam nostra sententia voluimus interpretari ». Ill.mus D. Laur. Janssens, qui pluries citat Canisium in sua Mariologia, dicit: « Quod Canisii opus inter praecipua sane adnumeranda est, quae B. Virginis cultus unquam pio doctove scriptori inspiravit » (*De Deo Homine*, II, p. 146). A R. P. Godts C. SS. R. vocatur « completa Mariologia... ».

("Positio etc. „ p. 53).

Ex hoc magno opere Canisiano, *Fr. Marianus a S. Iacobo* Ord Carm., anno 1674 et iterum anno 1675, edidit sententiarum epitomen cui titulus "Monitorum salutarium B. V. Mariae... consonantia... dissonantia„. Canisius a pio Carmelita vocatur « Theotocophilus... quem haereseon profligatorem tota Ecclesia agnoscit ».

24. *Zwey vnd neuntzig Betrachtung vnd Gebett, dess Gottseligen Einsidels, Brudes Clausen von Vnderwalden (Nonaginta duae commentationes et preces Beati Eremitae Fratris Nicolai ab Unterwalden).* — Freyburg in Vchtland, 1586.

Quas commentationes et preces valde adamaverat hic beatus Eremita, qui etiam B. Nicolaus a Rupe vel Nicolaus von Flüe nuncupatur.

25. *Manuale Catholicorum in usum pie precandi et cum Romano calendario nunc primum editum.* — Friburgi Helvetiorum, 1587.

Latine editum quater decies; germanice tredecies; anglice quinquies; gallice quinquies.

26-31. *Vitae Sanctorum Helvetiae*, germanice scriptae ad populi usum. — Friburgi, annis 1587-1594.

Sex numerantur huiusmodi libelli a Canisio conscripti et editi: *Vitae S. Meinradi, S. Fridulini, S. Beati, S. Idae, S. Mauritii, S. Ursi.*

32-33. **Notae in evangelicas lectiones,** *quae per totum annum* **Dominicis diebus** *in ecclesia catholica recitantur.* — Friburgi, 1591.

Item, quae per totum annum **festis Sanctorum diebus** recitantur. — Friburgi, 1593.

P. Ed. Hugon O. P., *primus theologus ex officio:*

" ...In hoc opere concurrunt simul respectus scripturisticus, dogmaticus, moralis et asceticus, exhibenturque optimae notae meditationum aut concionum, imo et precationum, circa evangelia festorum et ipsa festa.

("Positio etc.,, p. 22).

P. D. Franc. de Wyels O. S. B., *secundus theologus ex officio:*

" ...Cum iam non valeret propter infirmitates et senectutem vacare ministerio verbi Dei, rogatus fuit a Patribus Collegii Friburgensis, ut conciones, quas antea tanto cum fructu habuerat, in lucem ederet. Canisius libenter quidem accessit huic desiderio ita sane, ut non ipsas conciones ediderit, sed potius ex ipsis concionibus extraxerit medullam, quam in duobus tomis ordinavit per modum « Notarum in Evangelicas lectiones, quae per totum annum Dominicis et festis diebus in Ecclesia catholica recitantur ». Simile opus curavit lingua germanica pro Dominicis Adventus et festis Natalitiis. In totius operis commendationem Episcopus Lausannensis hoc praeclarum scripsit testimonium, quod per modum mandati promulgari voluit: « Auctor huius operis, inquit, magno, ut cernimus, fructu conscripsit duos tomos de Notis Evangelicis, sicut multi boni desiderabant. Nos utrumque tomum ut vere catholicum, lectuque dignum studiose amplectimur, et auctoritate nostra Episcopali, ut in lucem exeat, libenter comprobamus. Praeterea omnibus et singulis Decanis, Parochis et Concionatoribus nostris, sive saeculares illi sive regulares fuerint, serio mandamus, ut hunc librum posteriorem, sicut et priorem, quamprimum emant et evolvant sedulo, nec sibi tantum, sed aliis etiam commendare conentur. Ita enim futurum speramus, iuvante Domino, ut ex his ipsis Notis fructus non paenitendus in hac nostra Ecclesia colligatur, et non modo Clerus, sed etiam populus de catholicae et salutaris Fidei doctrina rectius atque solidius instruatur... ».

("Positio etc.,, p. 54-56).

34. *Miserere.* — München, 1594.

Explicatio Psalmi Davidici quinquagesimi germanice edita et modus orandi ad fidelium solamen. — Bis editum.

35. *Kriegsleüt Spiegel* (*Speculum pro militibus*). — Freyburg, 1596.

Continet monita pro militibus ad vitam christianam bene instituendam secundum exempla S. Mauritii aliorumque Sanctorum militum.

36. *Catholische Denckbüchlin.* — Freyburg, 1597.

Est " Manuale catholicum sententiis V. et N. Testamenti concinnatum „

Post mortem auctoris haec alia opera prodierunt:

37. *Enchiridion pietatis quo ad precandum Deum instruitur Princeps Catholicus.*

Primo editum est an. 1751: et abhinc 40 fere annos unum ex rarissimis exemplaribus a P. Braunsberger in quodam monasterio Hungariae repertum est.

38. *Exhortationes domesticae.* - Ruremondae, 1876.

Collectae et dispositae a P. G. Schlosser S. I.

39. **Epistulae et Acta.** — Friburgi in Brisgovia, annis 1896-1923.

Diligentissime collegit et annotationibus illustravit P. Otto Braunsberger S. I. († 1926): octo volumina iam prodierunt; nonum ab eodem Patre manuscriptum relictum mox prodibit, complectens quaedam serius inventa et praeterea copiosam bibliographiam Canisianam.

Pius XI *in Bulla canonizationis:*

"...Eandem eruditionis et doctrinae copiam, idem indefessum divinae gloriae studium, eumdem animarum zelum redolent vere innumerae a Beato Viro de quibusvis, etiam gravissimis, negotiis conscriptae *Epistolae* (aliquas tractatus potius theologicos vel asceticos dixeris), quas nuper editas octo omnino volumina complectuntur... „.

(*Acta Ap. Sedis*, 1925, p. 354).

P. Ed. Hugon O. P., *primus theologus ex officio:*

"...*Epistulae* quoque sub respectu theologico praestant; nam multae sunt quasi opuscula vel quasi tractatus theologici, quibus et principes et alios instruit et ad rem catholicam tuendam hortatur, ut mox liquebit ex citationibus seu exceptis quae efferemus... — Multa in istis epistulis, data occasione, traduntur, quae theologum eximium ostendunt, sive de theologia sermo sit et de locis theologicis, sive de praecipus dogmatibus. Citari debet epistola ad Verronium parochum (vol. 8, p. 270 ss.).

(" Positio etc. ,, pp. 10 et 12).

P. D. Franc. de Wyels O. S. B., *secundus theologus ex officio:*

"... Nisi prolixior iam facta esset expositio huius voti, adhuc per longum esset disserendum de epistolis Beati Canisii, quarum editionem curavit Braunsberger «Canisii Epistulae et Acta» per octo volumina (unumquodque circa 1000 pag. in magno 4°), quibus nonum volumen supplementorum addendum erit. Verbo saltem ad eas alludere oportet. Plures ex illis epistolis vera constituunt opuscula. Omnes saltem magni momenti sunt, non solum pro historia tum sacra tum civili tum litteraria, verum etiam — quod nostri scopi magis interest — ad delineandam physionomiam spiritualem et praesertim doctrinalem Scriptoris. Inter eos qui litteras a Canisio accepere aut ad eum dedere, apparent Sancti Franciscus Salesius, Carolus Borromaeus, Ignatius, Franciscus Borgia, Beatus Petrus Faber; Summi Pontifices Iulius III, Pius IV, Gregorius XIII; Imperatores Ferdinandus I et Ferdinandus II, innumeri Principes, Cardinales, Nuntii apostolici, Episcopi, Societatis Iesu tres Praepositi Generales, viri illustres per-

multi. Vix in illis epistolis aliquam inveneris, quae non plus minusve fuse agat de aliqua virtute vel praxi perfectionis christianae. Semper loquitur ut vir apostolicus, zelo Dei plenus, sive consoletur, sive stimulet ad bonum, sive zelum foveat, sive addat virtutem, sive provocet ad pugnam adversus haereticos, et ad defensionem fidei ... „.

("Positio etc. „ p. 58).

Oliverius Manareus, *Provinciae Belgicae Societatis Iesu praepositus, ad Sanctum scribens sic exorditur:*

" ...Gratissimae fuerunt litterae Reverentiae Vestrae, et semper spirant illum spiritum et odorem virtutum, quem ipsius conversationem ubique mire excitaverunt cum aedificatione et consolatione bonorum omnium; continent et semper documenta salutaria, quae etsi pro sua modestia non faciat mihi expresse, provide tamen et prudenter illa instillat, dum per ea quae mihi tribuit, innuit quid et quomodo agere deberem ... Pro quo officio ago gratias, quantas possum maximas „.

(*Apud* Braunsberger " *B. P. Canisii Epistulae et Acta* „ vol. VIII, p. 313).

40. *Confessiones* seu *Autobiographia*, et *Testamentum spirituale.*

A P. Braunsberger edita sunt in I volumine " Epistularum et Actorum „ (vide supra). — Germanice edita a P. Nicolao Scheid an. 1900 et a P. Ioanne Metzler annis 1921 et 1925.

Manuscripta *praeterea servantur*:

A. *De Iesu Christo mundi Redemptore.*

Liber quem *tertium* paraverat in serie " De verbi Dei corruptelis „ contra Centuriatores Magdeburgenses.

B. *De Petro Apostolorum Principe.*

Eodem consilio compositus ac praecedens.

C. *Notae in Evangelicas lectiones.*

Nova operis editio parata et aucta ab ipso S. Doctore, absoluta ultimo vitae suae anno; opportune in tres tomos divisa.

D. *Liber argumentorum : Loci communes.*

Est argumentorum fodina pro religione oppugnata ab haereticis.

E. *Conciones* circiter triginta voluminibus comprehensae.

P. D. Franc. de Wyels O. S. B., *theologus secundus ex officio, in suo « Voto » haec habet:*

" ...Canisius per 45 annos, quibus munere concionatoris functus est, circa 2000 conciones habuit, praecipue de rebus fidei et morum illius temporis, quae tamen conciones adhuc inter eius opera inedita quiescunt... „.

(" Positio etc. „ p. 56).

Hae conciones ita distribui possunt:

1. Concionum Collectiones viginti (variae).
2. Conciones seu Materiae concionum cum Miscellaneis. — Refert etiam locos ex Summa S. Thomae qui ad Dominicas et festa possunt pertinere.

3. Conciones habitae per biennium — Triplex series.
4. Concionum germanicarum collectiones duae.
5. Quadragesimalium concionum collectiones septem.
6. Conciones Catechisticae.
7. Adnotationes in Evangelia festorum B. M. V. et Dominicarum.
8. Conciones diversae: de Missa, de Sacerdotio, de Sacrificiis antiquis, de Mariis etc.
9. Conciones in Ionam prophetam.
10. Opuscula: de Aulicis, de Nobilibus, de Magistratibus, de mulierum dignitate et privilegiis, vitiis et virtutibus.
11. Exhortationum domesticarum ad Fratres collectiones quatuor.

In his nonnullae de Regulis: complures in renovatione votorum.

F. De ratione studiorum theologicorum quaedam notae.

G. Nonnulla media quibus Germania hoc tempore iuvari possit.

Testimonia quaedam de apostolatu et doctrina S. Petri Canisii.

Summi Pontifices:

PAULUS III (1534–1549):

In Bulla canonizationis Pius XI haec asserit:

«... Beatus Canisius a sancto Parente Ignatio in Germaniam stabili designatione redire iussus, fel. rec. Paulo III, Decessori Nostro, ut olim Beato Gregorio II, Praedecessori etiam Nostro, sanctus Bonifatius, humillime se sistit, Apostolicam benedictionem impetraturus. Felix profecto Pontifex, cui contingit duos e Societate Iesu a se approbata insignes apostolos, quorum laus est in Ecclesia, sua auctoritate instruere, sua benedictione munire: Franciscum Xaverium et Petrum Canisium!...».

(*Acta Ap. Sedis*, 1925, p. 351).

IULIUS III (1550–1555):

Ad Canisium ipsum haec scribebat:

«... Attendentes quod tu ob tuam in Deum pietatem et litterarum scientiam, ac in spiritualibus providentiam et temporalibus circumspectionem, diversaque alia virtutum dona, quibus personam tuam illarum largitor Altissimus multipliciter insignivit,... te, de quo ex praemissis plurimum confidimus in Domino, ipsius Ecclesiae [*Vindobonensis*]... administratorem ad annum... costituimus et deputamus...».

(*Breve " Cupientes „ 3 nov. 1554*)

PIUS IV (1559–1565):

Ad Canisium ipsum:

«... Ad aures nostras pervenit, quo studio, qua diligentia, qua charitate des isthic operam ut quamplurimos eorum qui... a

religione aberrarunt, in salutis viam reducas; quantum etiam superna cooperante gratia, proficias. Magnae nobis consolationi fuit tam optatus nuncius. Agimus Omnipotenti Deo gratias... Insta, fili, ut coepisti... enitere... urge... noli defatigari... Si quid vero a Nobis desideras, quod conferre aliquid posse credas ad salutem animarum, libenti animo, quidquid postulaveris, concedemus... ».

(*Breve " Ad aures " 5 mart. 1561*).

Item, ad Archiepiscopum Trevirensem:

«... Propter insignem eius probitatem ac fidem et magnam rerum istius inclytae suae nationis notitiam idoneum [dilectum filium Petrum Canisium] duximus cui committeremus officium visitandi Nostro nomine Fraternitatem tuam [*Archiep. Trevirensem*] et alios quosdam nationis eiusdem Praelatos, fratres Nostros... ».

(*Breve " Dilectum hunc " 19 sept. 1565*).

Praeterea in Bulla canonizationis Pius XI haec addit:

«... Quibus meritis [*de Concilio Tridentino*] bene cognitis, idem Decessor Noster Pius IV tanta affectus est laetitia, ut Franciscum Borgia qui vicaria tunc potestate Societatem Iesu in Urbe regebat, ad se venire iusserit et Canisium summis laudibus praedicans, cum sanctum filium absentem amplecti non posset, pro eo sanctum patrem peramanter amplexus sit... ».

(*Acta Ap. Sedis*, 1925, p. 353).

S. Pius V (1566–1572):

In Bulla Canonizationis Pius XI haec enarrat:

«... Contra Centuriatores Magdeburgenses, Sancto Decessore Nostro Pio V iubente, apologiam de catholicis veritatibus historicam simul et theologicam aggressus est... Enixis autem precibus plurimisque lacrimis sanctae memoriae Antecessorem Nostrum Pium V obsecravit ut a consilio desisteret, eum in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium cooptandi... ».

(*Acta Ap. Sedis*, 1925, pp. 353 et 355).

Gregorius XIII (1572–1585):

Ad ipsum Canisium scribens:

«... Veniesque ad Nos, ut quid consilii capere oporteat, sciamus, et quod agendum cognoverimus, exequi possimus; quod ut facere valeamus, ora Deum omnis rectae in nobis voluntatis atque actionis effectorem... ».

(*Breve " Inter eas " 23 ian. 1573*).

Item, ad Ioannem Gulielmum Iuliae Cliviae Principem:

«... Libentissime amplexi sumus hanc opportunitatem scribendi ad Nobilitatem Tuam per dilectum filium Petrum Canisium Iesuitam, virum doctrina, fide, integritate spectatissima... Super iis vero, de quibus Canisius cum Tua Nobilitate aget Nostris verbis, omnem ei fidem tribues... ».

(Breve " Nostram de tua „ 5 apr. 1578).

URBANUS VIII (1623-1644):

In epistola ad Georgium Fridericum archiepiscopum Moguntinum vocat Canisium « clarissimum sapientiae et sanctimoniae sidus, quod huius aetatis tenebris illuxit ».

(" Positio „ pro beatificat., 1864, p. 207).

GREGORIUS XVI (1831-1846):

Cum ageretur de scriptis Venerabilis Canisii, affirmavit eius opera esse « notissima apud probatos theologos » *ideoque non iam esse examini subiciendos libros novos, qui forte detegantur.*

(Cfr. Decr. de scriptis, 22 iun. 1835).

«... Ven. Sacerdos Petrus Canisius, qui Societati Iesu, paulo ante a S. Ignatio institutae, nomen dedit, cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui spiritu intelligentiae replevit illum, et ipse tanquam imbres misit eloquia sapientiae, palam fecit disciplinam doctrinae suae, et in Dei lege gloriatus est... ».

(Decr. de virtutibus heroicis, 28 ian. 1844).

PIUS IX (1846-1878):

«... Quasi splendor firmamenti, et quasi stella in perpetuas fulgebit aeternitates Ven. Sacerdos Petrus Canisius, alter ex primis S. Ignatii inclytae Societatis Iesu Institutoris asseclis, qui ad iustitiam erudivit multos; tanquam imbres ubique sparsit eloquia sapientiae, catholicam fidem in Germania collabentem ita propugnavit, ut nonnulli regionis illius principes se ab eo in lege Domini edoctos fuisse ac confirmatos palam asseruerint. Hic novatores omnes insectatus est, contrivitque, qui saeculo XVI acerrimum adversus Ecclesiam Dei exercuere bellum. Hic errantes ad veritatis lumen reduxit; pios evangelicis enutrivit monitis; sacras virgines ab haereticorum fraudibus ac blandimentis securas fecit; miseros beneficentia fovit; omnibus omnia factus est, ut omnes faceret salvos. Tridentino interfuit Concilio, et tanta inter Patres illic congregatos doctrinae praestantia conversatus est, ut laus eius per omnes Ecclesias fuerit, aeternamque iis reliquerit memoriam qui post eum futuri erant. Denique hic praeclarissimus ca-

tholicae fidei vindex, plurimis peragratis regionibus, hostium periculis superatis, ac laborum diuturnitate consumptus, Friburgi graviter aegrotans, clarior doctrina, virtutibus ac sanctitate clarissimus in osculo Domini conquievit... ».

(*Decr. de miraculis, 17 apr. 1864*).

« ...Non recedet ab hominum memoria eximii viri nomen Ven. Servi Dei Petri Canisii ex praeclarissima Loyolaea sobole; siquidem a generatione in generationem requiretur. Catechesi enim sua populos in fide erudivit; in medio magnatorum apparuit, eorumque consilia direxit; in haereticorum versutias introivit, et occulta illorum molimina exquirens, ea palam fecit disciplina doctrinae suae. In terra multarum gentium pertransiens, infirma confirmando, disrupta consolidando, depravata convertendo bona omnia in hominibus tentavit. Sublimes Deiparae Virginis virtutes et merita elucidans vitam habuit aeternam. Sapientiam itaque eius collaudabunt multi usque in saeculum et laudem eius annuntiabit Ecclesia... ».

(*Decr. de " tuto „ 24 iulii 1864*).

« ...Multis et civitatibus et provinciis saluti fuit, quarum alias ab imminenti contagione servavit immunes, alias ab inveterata errorum peste purgavit. In conventu Ratisbonensi, Petricoviensi et Augustano catholicos Principes, sacrosque Antistites excitavit, exacuit ad comprimendum haereticorum furorem, ad funestam flammam, quae in manifestum erumpebat incendium, restinguendam... Praecipuo quodam observantiae studio tenebatur erga Apostolicam Sedem, cui quidem omnia sua studia, contentiones, curas, omnes vitae rationes plane devoverat... ».

(*Breve beatificationis, 2 aug. 1864*).

« ...Maxime anxius ac sollicitus de studiorum ratione in Lycaeis instauranda, pertinaci contentione hoc tandem est assecutus, ut, vocatis ad docendum probatae fidei magistris, sana iterum doctrina, et scholastica Theologia publice traderetur, a qua, utpote veritati catholicae explicandae opportunissima, protestantes summopere abhorrebant... ».

(*Breve beatificationis, 2 aug. 1864*).

LEO XIII (1878–1903):

« ... Utramque pestem [*iacturam fidei morumque perversitatem*], cum a ceteris omnibus, tum impensius a iuventute propulsandam curavit [Canisius] alter ille post Bonifacium Germaniae Apostolus, neque solum opportunis concionibus aut disputandi subtilitate, sed scholis praesertim institutis editisque opti-

mis libris. Mox, sacris disciplinis tradendis in Poloniae, Ingolstadii, Viennae Academiis egregiam operam dedit, in quibus regiam tenens viam probatorum scholae christianae doctorum, theologiae scholasticae magnitudinem Germanorum animis aperuit. A qua quum fidei hostes eo tempore summopere abhorrerent, quod ea catholica veritas fulciretur maxime, hanc scilicet studiorum rationem instaurandam curavit publice... ».

(*Litt. Encycl. " Militantis Ecclesiae „ 1 aug. 1897*).

Pius X (1903–1914):

«... Canisius ea in medium attulit, quae perpetuo prodessent universitati Christianorum vel ad cognitionem veritatis vel ad rectam dispositionem vitae... ».

(*Litt. ad Convictores Oenipontanos, 4 aug. 1911*).

Benedictus XV (1914–1922):

« ...Velimus nimirum Petri memoria ita instauretur, ut ex eius vitae exemplis apte propositis Christifideles sentiant, quanti sit faciendum sibi illud fidei munus, pro quo Petrus tam acriter, tam diu decertavit; et viri e clero discant quibus pietatis doctrinaeque armis veritatis ac religionis patrocinium suscipiendum sit... ».

(*Breve " Officii Nostri „ 1 apr. 1921*).

Pius XI, *feliciter regnans:*

Ex multis quae afferri possunt, haec sufficiant:

« ...Hic enim bonus Christi miles, inter praestantissimos Loyolaei Patris legiferi discipulos numerandus, *defunctus adhuc loquitur,* siquidem ex eius vita et scriptis catholici quidem habent, quantum sibi cavere debeant ne ab unitate atque integritate fidei desciscant, acatholici vero discant oportet, in tanta opinionum suarum inconstantia suaeque spei ruina, nullum sibi, nisi in Ecclesia Romana, perfugium, nullum aeternae salutis patere praesidium. Nonne Canisii labores et sudores, studia et scripta huc demum pertinuere?...

(*Acta Ap. Sedis,* 1925, p. 214).

« ...Maxime necessario rei christianae tempore, clarissimus ille fidei et defensor et apostolus exstitit, Petrus Canisius; in quo quidem apparuit, quam vere dicatur, novum Ecclesiae militanti per Ignatium Loyolaeum a Deo datum subsidium. Hic enim nascentis societatis Ignatianae eximius alumnus non uno nomine Iesu Christi Sponsae laboranti profuit. Profuit quidem omnium exemplo virtutum in quibus, a pueritia ad extremam usque senectutem, tam mirabili ascensione profecit, ut maximam aequalibus suis admirationem moveret. Profuit etiam litterarum scientia

exquisitissimaque divinarum rerum doctrina, quam Scripturis Sacris operibusque Patrum assidue pervolutandis alebat; quod autem cum plena theologiae positivae, quam vocant, cognitione, Scholae sententiarum lumina coniungeret, non est cur miremur, eundem, ad oppugnandos immanes haereticorum errores, armatissimum sane militem in aciem descendisse. Profuit denique susceptis toleratisque, quinquaginta fere annos, omni sibi quiete interdicta, laboribus... Alterius quidem post Bonifacium Germaniae apostoli praestantissima sane doctrinae copia ac gravitas, a Decessore Nostro Leone XIII, per Encyclicas Litteras, ante annos septem et viginti, iis celebrata laudibus, quae vix eum decere viderentur cui Doctori appellatio nondum decreta esset, Nobis omnino suasit, ut Canisium una eademque sententia et inter Ecclesiae Doctores adscriberemus, quemadmodum paulo ante fecimus et per Decretales Litteras mox conficiendas declaraturi item sumus. Cum, ceteroqui, Sancti huius Doctoris novensilis actio et apostolatus ad gentes bene multas, ut ad Alsatiam et Helvetiam, ut ad Bohemiam et Poloniam, ut ad Austriam et Hungariam et Italiam, pertinuerit, ubi etiam iuventuti instituendae, Seminariis conlegiisque conditis, mirifice prospexit, nonne videtur Deus ipse universis eum gentibus colendum imitandumque, veluti in signum unitatis et pacis, singulari quadam opportunitate, proponere?... ».

(*Acta Ap. Sedis*, 1925, pp. 215-217).

« ...Mirabilis huius erga Ecclesiam providentiae insigne exstat documentum Beatum Petrus Canisius. Qui, sicut Ezechiel Propheta « ad gentes apostatrices » missus, tanta cum virtute et doctrina apud illos populos Christi legatione functus est, ut haereticorum malleus, et alter, post sanctum Bonifatium, Germaniae apostolus meruerit appellari, dignusque habitus sit, qui ad tutandam in Germania religionem divinitus datus putaretur... ».

(*Acta Ap. Sedis*, 1925, p. 349).

« ...Sancti Petri Canisii virtutes, humilitatem, obedientiam, castitatem, diligentiam atque constantiam in propriis officiis obeundis, fidem praesertim operosissimam et erga hanc Apostolicam Sedem firmissimam fidelitatem colant christifideles cuncti et imitentur. Praeclaram eius memoriam, hisce Litteris consecratam, integram conservate, quotquot estis Ecclesiae filii, ut Iesu Christi amor in cordibus vestris in dies magis exardescat et « expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, novum induatis, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem Eius, qui creavit illum ». — In primis vero Canisium imitentur, qui, sacerdotio aucti, clarissimum in eo habent exemplar sacerdotalis sanctitatis cum do-

ctrina sociatae; in eum respiciant, ab eoque discant quibus ornari debeat virtutibus optimus quisque ac sedulus in vinea Domini operarius, qui totam vitam suam ad hoc dirigat, ut regnum Dei in dies amplificetur ac populus Deo serviens et merito augeatur et numero. — Quod denique Nobis maxime cordi est, quod praepotentibus Sancti Petri Canisii precibus confisi, haud temere Nobis sperandum putamus, hoc Nobiscum omnes orando impetrare conentur: ut cunctae Dominicae oves, quotquot a vero Christi ovili longe aberrant, Boni Pastoris eiusque, quamvis indigni, in terris Vicarii vocem audiant, et ad salutifera veritatis pascua redire properent, divinam eamque infallibilem promissionem iam nunc in se feliciter complentes: « Et fiet unum ovile et unus Pastor! ».

(*Acta Ap. Sedis,* 1925 p. 363).

Viri sanctitate aut ecclesiastica potestate eminentes:

SANCTI COAEVI *(in genere):*

In Bulla canonizationis Pius XI haec asserit:

« . . . Qui vero tunc in Ecclesia sanctitatis laude florebant, singulari eum amicitia prosequebantur: nam, ut sanctum Ignatium aliosque eiusdem aetatis e Societate Iesu Sanctos vel Beatos et, quem plus semel iam commemoravimus, sanctum Pium V omittamus, Carolus Borromaeus et Philippus Nerius et alii complures pietate insignes magno in pretio eum habuerunt et summis laudibus extulerunt . . . ».

(*Acta Ap. Sedis,* 1925, p. 355).

S. CAROLUS BORROMAEUS († 1584):

« . . . Incredibile est quanta cura et sollicitudine vir pius ut est, Dei immortalis cultum sanctimoniamque omnis animi impetu tueatur ac ceteris praestet . . . ».

(*Apud* BRAUNSBERGER, op. cit., vol. V, p. XLI).

S. FRANCISCUS SALESIUS (†1622) *ad ipsum Canisium die 21 iulii 1595 haec scribebat:*

« Virtutis is est splendor, quod tu omnium minime ignoras, Pater observandissime, nullis ut locorum intervallis impediri possit, quominus et videatur ipsa, et eos a quibus possidetur suo lumine reddat omnibus qui vel virtutis nomen tantum honorant conspicuos et amabiles. Quo minus excusatione indigere nunc mereor quod, ignotus et obscurus homuncio, litteras ad te dare non verear. Non enim tu ignotus es vicissim aut obscurus, qui tot recte (ut modestissime dicam) factis, dictis, scriptis pro Christo universis Christifidelibus innotuisti, ut mirandum non sit eum qui omnibus toties scripsit Christianis, a multis hoc solum nomine quod Christiani sint, litteras item accipere.

« Cum ergo non longo multum intervallo, et solo fere quod aiunt Lemano lacu a te cognovissem me abesse, rem quidem tibi non ingratam, mihi vero in posterum longe utilissimam facturum existimaverim si, qui praesens nequeo, absens per litteras, commodum aliquando de rebus et dubitationibus theologicis interrogarem, et docentem te per litteras item interdum audirem. Scriptum est enim : « Interroga generationem pristinam et diligenter investiga patrum memoriam, et ipsi docebunt te ; loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia.

« En igitur nonum iam ago mensem inter haereticos, et in tanta messe octo tantum spicas in arcam Dominicam inferre potui ; summo Dei beneficio, quippe qui non tam sim operarius quam operariorum prodromus. In iis Petrus Poncetus, iurisconsultus eruditus sane et, quod ad haeresim spectat, etiam Calviniano ministro loci longe doctior. Quem cum antiquitatis auctoritate non nihil moveri viderem inter familiaria colloquia, porrexi tuum illud « Opus Catechisticum », cum sententiis Patrum a Busaeo fuse descriptis ; cuius lectione abduci se ab errore in tritam veteris Ecclesiae viam passus est, ac manus tandem dedit ; quo etiam tibi nomine plurimum uterque debemus... ».

Et, petita explicatione de quodam S. Scripturae loco, ita concludit :

« ...Quodque reliquum est, Deus optimus maximus venerandam tuam canitiem quam diutissime reipublicae Christianae servet incolumem ; at tu me, quod e vestra Societate iampridem fecit Antonius Possevinus, in humillimum, quaeso, et addictissimum servum habeto et filium in Christo...» .

(*Oeuvres complètes de S. Fr. de Sales,* t. VIII, pp. 72-77).

B. Robertus Card. Bellarmino († 1621):

In Bulla canonizationis Canisii Pius XI haec habet:

« ...Beatum quoque Robertum Bellarminum doluisse ferunt, quod sero Canisii *Catechismum* noverit: si prius cognovisset, suum se non editurum, sed illum in italicum sermonem conversurum fuisse . . . ».

(*Acta Ap. Sedis,* 1925, p. 354).

Ven. Caesar Card. Baronio († 1607):

Laudat « vigilans studium eruditissimi et maxime pii viri Petri Canisii », *et in Canisium accommodat illud Apostoli* (II Cor., 8, 18): « . . . cuius laus est in Evangelio per omnes Ecclesias . . . ».

(*Annal.,* t. I, p. 116).

IOANNES CARD. MORONE († 1580):

Appellat Canisium « uomo di grandissima dottrina et gran difensore della Potestà Pontificia ».

(*Apud* BRAUNSBERGER, op. cit., vol. IV, p. 957).

OTHO CARD. TRUCHSESS, *Episcopus Augustanus* (saec. XVI):

Ex Bulla canonizationis:

« ...Vix annum sextum supra vigesimum Petrus attigerat, cum a Cardinali Othone Truchsess, Episcopo Augustano, ad Concilium Tridentinum, theologi munere ac nomine insignitus, missus est, omnibus iam tunc eius doctrinam et apostolicum zelum admirantibus... ».

(*Acta Ap. Sedis*, 1925, p. 351).

LEGATI PONTIFICII *aliique Tridentini Concilii Patres ac theologi:*

Ex Bulla canonizationis;

« ...Concilio Tridentino, a fel. rec. Pio IV Decessore Nostro rursus convocato, Petrus Canisius, a Pontificiis Legatis vehementer expetitus, iterum interfuit, ibique eius in disserendo doctrina, in elucidandis quaestionibus consilii maturitas, in respondendo alacritas, in dicenda sententia gravitas ac constantia mirum in modum effulsit. Cuius celeberrimi Concilii felicem exitum absens deinceps non minus iuvit quam promoverat praesens: nam, Tridento Augustam Vindelicorum ob gravissima religionis negotia redire coactus, et inde Oenipontem a Ferdinando Imperatore revocatus, ut in theologorum conventu sibi a consiliis esset, Ecclesiae in Concilio moderando libertatem atque Apostolicae Sedis iura strenue simul et prudenter propugnavit... ».

(*Acta Ap. Sedis*, 1925, p. 352).

STANISLAUS CARD. HOSIUS (saec. XVI):

« ...Cardinalis Hosius non dubitavit proclamare opus « De Corruptelis Verbi Dei » dignum esse operibus Sanctorum Patrum et Doctorum Ecclesiae et scriptum esse « pie, docte, eleganter, magna cum perspicuitate neque vulgari persuadendi vi ». — Tractatus vero « De Maria Virgine » describitur a Cardinali Hosio ut « opus Marianum excellentissimum, in quo tam dilucide, fuse atque egrege disseritur de B. M. Virgine, ut vix quisquam sit a quo magis fuerit illustrata... ».

(*Cfr. " Positio etc. "* pp. 46 et 53).

HENRICUS DE KNÖRINGEN, *Episcopus Augustanus* (saec. XVII):

In Visitatione ad sacra Limina anno 1629 haec asserebat:

« . . . Iam hi, iam alii ab isto zelosissimo Viro [*Canisio*] er-

rores suos dedocti orthodoxae veritati manus dederunt, ut proinde non parum Augusta huic Apostolo debere se debeat profiteri. . . ».

(*Apud* BRAUNSBERGER, op. cit., vol. I, p. XXII).

GALLUS ALT, *Abbas S. Galli* (saec. XVII):

« . . . Canisius erat Germaniae splendidum sidus, propter doctissimos libros, quos edidit, Ecclesiae Doctor . . . ».

(*Ep. ad Alexandr. VII, 1 oct. 1658*).

ABBATES CONGREG. HELVETICAE ORD. S. BENEDICTI (saec. XVII):

Ad Canisii canonizationem petendam se adduci dicunt:

« . . . Eius viri plane apostolici heroicis virtutibus, animarum zelo eximio et frequenti miraculorum gratia, quibus Germaniam totam et cum primis Helvetiam nostram implevit . . . ».

(*Epist. ad Alexandr. VII, 7 oct. 1658*).

CLAUDIUS ANT. DUDING, *Episcopus Lausannensis* (saec. XVIII):

« . . . [*Canisium*] tota Helvetia quae catholica est, ut Patrem suum in Christo diligit, ut apostolum colit . . . ».

(*Epist. ad Clem. XII, 21 apr. 1732*).

HERMANNUS DE VICARI, *Archiepiscopus Friburgensis in Brisgovia* (saec. XIX):

« . . . Vere dici potest Petrus Canisius qui in mediis haeresum procellis, religionem et sanam doctrinam labescentem in Germania stabilivit, dignus S. Bonifacii, Germanorum Apostoli, aemulus et comes, siquidem bonam plantationem iam iam perituram ab interitu vindicare consimilis laus est quam eandem primum instituisse ...».

(*Epist. ad Pium IX, 25 mart. 1859*).

IOSEPHUS CARD. HERGENRÖTHER (saec. XIX), *insignis ecclesiasticae historiae cultor:*

Vocat catechismum Canisii « opus theologicum omnibus numeris absolutum »

(*Kirkengeschichte*, tom. 3, p. 239).

ALII PRAESULES *Canisii laudatores enumerantur a* BRAUNSBERGER (op. cit., vol. I, pp. XVIII-XXIII): v. g. Cardinales Sirletus et Commendone, Nuntii Apostolici Ioannes Bonhomius seu Bonomini et Aloisius Lipomanus, Episcopus Franciscus Ludovicus Schenk de Castell etc.

Videantur praeterea omnes LITTERAE POSTULATORIAE *infra ponendae.*

Imperatores aliique Viri Principes:

Ex Bulla canonizationis:

« ...Cum autem ille [*Canisius*] de se tam demisse sentiret, magni fiebat ab omnibus quotquot tunc erant inter catholicos civili vel ecclesiastica potestate fulgentes, quatuor praesertim Summis Pontificibus apprime carus et a Ferdinando Imperatore, ab Alberto Bavariae Duce aliisque Principibus Viris expetitus . . . ».

(*Act. Ap. Sedis*, 1925, p. 355).

FERDINANDUS I († 1576), *Imperator:*

« . . . Ad quod catholicum opus conscribendum [catechismum] inter alios non dubiae fidei ac doctrinae viros honorabilem, religiosum, devotum, Nobis dilectum Petrum Canisium sacrae theologiae doctorem delegimus . . . ».

(*Decreto die 10 dec. 1560 lato*).

P. Georgius Scherer S. I., anno 1604, haec narrabat:

« . . . Inveni etiam litteras multas Caesaris Ferdinandi, quibus ipsum Canisium in negotiis gravissimis consulebat, imo deferebat ipsi magna instantia Episcopatum Viennensem, nescio an etiam Labacensem . . . ».

(*Ep. ad P. Ferd. Alberum*).

PHILIPPUS II († 1598), *Hispaniarum Rex:*

Ex Litteris Postulatoriis Universitatis Salmanticensis (a. 1925):

« . . . Cum Philippus II Rex noster a theologis lovaniensibus catechismum petisset, qui provinciis belgicis imperio suo subiectis, antidotum quoddam adversus novas illas haereses esse posset, hi nullum meliorem extare catechismum, responderunt, quam canisianum. Quare eum Rex in omnibus terrarum illarum scholis, semotis omnibus aliis catechismis, doctrinae christianae tradendae adhiberi iussit; neque gallice solum ac flandrice catechismus ille tunc in lucem emissus est, sed etiam a. 1558 Antuerpiae versio eius hispanica vulgata est in gratiam Hispanorum in regionibus illis habitantium . . . ».

MAXIMILIANUS I († 1651), *Bavariae Dux imperiique Elector:*

« . . . Tota Europa non modo legitur [Catechismus Canisii] ed explicatur; a iuventute ediscitur; Principes imperii Romani hinc fidei et religionis initia duxerunt; in omnes singularum nationum linguas vernaculas liber ille translatus est... ».

(*Apud* BRAUNSBERGER, op. cit., vol. I, p. XVIII).

FERDINANDUS MARIA († 1679), *Bavariae Elector:*

Vocat Canisium « totius quidem Germaniae, praesertim vero Bavariae, praeclarum superiore saeculo Apostolum ».

(*Epist. ad Alexandrum VII, 26 ian. 1659*).

CAROLUS VI († 1740), *Imperator*:

Ex Bulla canonizationis:

« ... Compositis paulisper rebus, anno millesimo septingentesimo, novas dederunt Summo Pontifici postulatorias litteras Carolus VI Augustus, ut strenuissimo catholicae fidei propugnatori Caelitum honores tribuerentur ... ».

(*Acta Ap. Sedis*, 1925, p. 356).

Theologi aliique docti Viri catholici :

P. FRANCISCUS STRADA S. I. († 1588) *iam anno 1543 haec de Canisio scribebat:*

" ... Canisius, benedictissima illa ac purissima anima litteras dedit ad me quas mitto in Urbem ut gratias agatis Deo tam de sincero spiritu, tamque electo et eximio Dei famulo, quem servabat sibi Christus absconditum tamquam triticum electum in magna copia palearum ad magnam laudem et gloriam tremendae Maiestatis suae et amabilis ... „.

(BRAUNSBERGER, *op. cit.*, vol. I, pp. 78-79).

GASPAR CARDILLUS DE VILLALPANDO (saec. XVI), *Canonicus Segobiensis, qui Concilio Tridentino theologus intererat:*

In Litteris Postulatoriis Universitatis Salmanticensis (an. 1925) haec narrantur:

« ...Catechismum in usum popularium cum componere coepisset, conspecto Cathechismo Canisii, statim labore illo cessavit: desperabat enim, ut ipse ait, se quidquam praestares posse quod Catechismum Canisianum aequaret; propterea eundem catechismum hispanice reddidit et a. 1576 Compluti edidit... „.

P. ALPHONSUS SALMERON S. I. († 1585):

Ad ipsum Canisium scribens, celebrat eius opus contra Centuriatores tamquam redolens " reconditam eruditionem, Patrum diligentem lectionem, spectabiles cum haereticis congressiones, orthodoxam verborum Dei interpretationem „.

(Ex " Voto „ R. P. D. Fr. de Wyels O. S. B., in " Positio etc. „ p. 46).

P. PAULUS HOFFAEUS S. I., *Praep. Prov. Germ. Sup.* (anno 1574):

" ... Talenta eius [*Canisii*] orbi et Urbi nota „.

(*Apud* BRAUNSBERGER, op. cit., vol. VII, p. 702).

VALENTINUS ROTMAR, *Annalista Ingolstadensis* (saec. XVI):
Magnificum conscripsit praeconium " Admirabilis Canisii „ *quem pleniore ore laudibus cumulat, extollendo illius ingenium, eruditionem,* " multas et praestantissimas virtutes „ *et* " opera et diserte et erudite et catholice hactenus edita „ *etc.*; *inter alia haec habet:* " Lumen est nostro tempore inter Doctores Ecclesiae „.
(*Apud* BRAUNSBERGER, op. cit., vol. I, p. 724).

IOANNES ENGERD, *Doctor theologiae* (saec. XVI):
In quodam libro a. 1581 Ingolstadii vulgato copiosam inseruit laudationem " incomparabilis viri Petri Canisii „ *tunc viventis. Inter alia haec habet*: " Vir est divini propemodum ingenii et eruditionis incomparabilis... Theologus profundus et lectionis infinitae, Orator valde eloquens,.. Lumen doctorum ecclesiasticorum amplissimum et clarissimum etc.... „.
(*Apud* BRAUNSBERGER, *op. cit.*, vol. I, p. 725).

SEBASTIANUS VERRONIUS, *Praepositus S. Nicolai Friburgi* (saec. XVI):
Anno 1599 appellabat Canisium : " toto christiano orbe notissimum „ *et* " Ecclesiae per Helvetiam patriarcham, fidei catholicae per Germaniam columnam „.
(*Apud* BRAUNSBERGER, op. cit., vol. I, p. XX).

AUBERTUS MIRAEUS, *Canonicus Antuerpiensis* (an. 1602):
Vocat Canisium : " Saeculi sui Hieronymum „.
(*Ibid.*)

LAURENTIUS BEYERLINK (a. 1611), *Canonicus Antuerpiensis :*
Vocat illum : " Alterum sui saeculi Augustinum „.
(*Ibid.*)

ODORICUS RAYNALDUS (saec. XVII), *continuator Baronii :*
De opere catechistico Canisiano ad annum 1555 in suis Annalibus Asserit : " catholicae eruditionis puritate radiare „.
(*Ibid.* p. XVIII)

ANDREAS SERRAO (saec. XVIII):
In libro « de claris catechistis » an. 1777 edito :
affirmat catechismum Canisii : " magno ubique doctorum et procerum plausu exceptum esse „.
(*Ibid.*)

IOSEPHUS SCHEEBEN (saec. XIX), *theologus :*
" ... Idem fere valuit Canisius saeculo XVI *Summa doctrinae christianae* quod pro medio aevo Petrus Lombardus suis *Libris sententiarum* ... „.
(*Ibid.*)

DOCT. BERCHTOLD, *scriptor historiae reipublicae Friburgensis* (anno 1845):
"... Jamais vie ne fut plus utilement et plus laborieusement remplie. Elle fut constamment marquée au coin de l'abnégation la plus chrétienne. Orateur éloquent, écrivain distingué, négociateur infatigable, le

P. Canisius joignait au zèle de l'apôtre l'habilité du diplomate, l'humilité d'un saint et l'hérudition d'un savant... „.

(*Apud* Braunsberger, *op. cit.*, vol. I, p. xxi).

P. M. Benger C. SS. R. (saec. XIX):

" ... Verbum Dei interpretatur [Canisius] ingeniose et pie, rationem semper habens et doctrinae fidei et errorum aetate sua grassantium et temporum sacrorum rituumque ... „.

(" *Teolog. Quartalschrift* „ p. 610).

P. Franciscus Xav. Le Bachelet S. I. († 1925), *in « Dictionnaire de Théologie catholique »*.

" ...Le Bienheureux fait constamment preuve de qualités solides et appropriées à sa tâche: intime familiarité avec la Sainte Ecriture, vaste erudition patriotique et théologique... Il exerça le ministère de la prédication; il l'exerça pendant près d'un demi-siècle, avec un zèle infaticable et sans y chercher jamais autre chose qu'un moyen d'instruction et de réforme religieuse. Calme, net et logique dans l'exposition de la doctrine, animé d'une conviction intime et penetrante, sachant faire de l'Ecriture et de la Tradition un heureux et continuel usage... „.

(*Diction. de Theol cathol.* II, col. 1527 et 1512).

P. Iosephus Braunsberger S. I. († 1926), *studiosissimus ille Canisii operum investigator :*

" ... Praeter orationes sacras et catechismi explicationes, quibus Bavariam, Austriam, Alsatiam, Franconiam, Tirolim, Bohemiam, Helvetiam variis locis excoluerat, praeter consilia ac monita, quibus multos primores et sacros et civiles munierat, calamum scriptorum Canisius inde a vigesimo tertio suae aetatis anno ad mortem usque numquam deposuit ... „.

(*Op. cit.*, vol. I, p. xvii).

Alii Canisii laudatores catholici *bene multi enumerantur a* Braunsberger: (op. cit., vol. I, pp. xvii-xxii).

V. g. Ioannes Cochlaeus, Ioannes Fabri O. P., Fridericus Staphylus, Albertus Wimpinensis, Gulielmus Eisengrein, Ioannes Schwayger, Andreas du Saussay, Natalis Alexander O. P., Samuel Quichelbergus, Georgius Eder, Ioannes Perellius, Cornelius Loos, Stanislaus Rescius, Ioannes Molanus, Caesar Cantù, Paquot, Georgius Weber, Franciscus Xav. Schöberl, Ignatius H. Amat de Graveson O. P., Ioannes Janssen, Ioannes Bapt. Heinrich, etc.; quibus profecto addendus est Ludovicus von Pastor,, qui in celeberrima sua *Geschichte der Päpste (Historia Pontificum)* de Canisio multa eaque eximia habet.

Quidam ex ipsis Protestantibus:

PAULUS FREHERUS, *protestans norimbergensis* (a. 1688):

" [Canisius fuit] pietate animi et candore priscis Patribus comparandus... „.

(*In " Theatro virorum eruditione clarorum „ apud* BRAUNSBERGER, op. cit., vol. I, p. XX).

ERNESTUS SALOMON CYPRIANUS, *protosynedrii gothani praeses vicarius* (a. 1743):

"... Et eruditione singulari et in Pontifices Romanos studio obsequiose et labore incredibili in cathedra cum academica tum ecclesiastica itineribus plurimis, scribendis etiam catechesi et aliis operibus tolerato summoque haereticorum odio in tantam apud suos claritudinem pervenit Canisius ut Romae omnibus aetatis illius theologis anteponeretur... „.

(*" Tabularium Eccl. Rom. „ saec. XVI, p. 33*).

BENRATH (saec. XIX):

" [Canisius] non solum inhibuit iugem progressum protestantismi, [in Bavaria, Austria, Bohemia] sed partim etiam praeparavit et partim complevit plenum triumphum catholicismi in illis regionibus „.

(*Realencyklopaedie für protest. Theologie und Kirche, v. Canisius, p. 709*).

P. ROUFFET (saec. XIX):

" Canisius est justement célèbre par son Catéchisme, véritable arsenal de la doctrine romaine... Aucun ouvrage peut-être, la Bible exceptée, n'a eu plus de réimpressions et de traductions dans toutes les langues de l'Europe „.

(*Encyclopédie des Sciences religieuses*, t. II 576-577)

G. KAVERAU (saec. XIX):

" Die Katechismen des Canisius haben für die Kirche der Gegenreformation sicher eine ebenso grosse Bedeutung, wie de Luther's für die Kirche der Reformation „.

(*Theologische Literaturzeitung, 1894, col. 84*).

ALII CANISII LAUDATORES PROTESTANTICI, *etiam recentioris aetatis*, *multi habentur apud* BRAUNSBERGER (op. cit., vol. I, pp. XVIII-XXIII):

V. gr. Ioannes Fabricius, Ioannes Matthias Schröckh, Henricus Pantaleon, Leopoldus de Ranke, Wolfangus Menzel, Ioannes Georgius Walch, Gerhardus de Zezschwitz, Lodovicus Philippus van den Bergh, Carolus Augustus Hase, etc.

Synopsis duorum “votorum„ ex officio (1).

PRAENOTANDUM.

Totum hoc negotium de doctoratu Canisii praesentissima quadam Dei providentia actum est. Nam, cum Postulator generalis prudentiae causa secundum Patris Nostri iussa nihil hac in re tentaret, Litteris tamen postulatoriis Episcoporum aliorumque de B. Petro Canisio Doctore renuntiando undique ad Sanctam Sedem pervenientibus, ipse S. Rituum Congregationis Praefectus Card. Antonius Vico rem primus proposuit Summo Pontifici, insinuans etiam num in ipsa canonizatione Sanctus simul et Doctor Canisius proclamari posset. Beatissimus Pater, qui opera Canisii iamdiu optime novit eaque magni facit, propositionem benigne excepit, sed rem penitius ponderandam et duos theologos Societati extraneos seorsim interrogandos esse edixit. Eminentissimus autem Cardinalis mox duos ad hoc munus elegit theologiae Professores, alterum Dominicanum, Benedictinum alterum, aptissimos eos quidem, sed ambo, ob imperfectam operum Canisii cognitionem, ut ipsi postea sponte fassi sunt, de eius qua Doctoris meritis iudicium contrarium apud se praeoccupaverant, quod tamen a Cardinali prorsus ignorabatur.

Uterque igitur, alter de altero plane inscius, tali animi dispositione rem aggressus, diligentissime quaquaversus causam discussit et demum, mutata penitus sententia, uterque pro Canisio Doctore renuntiando supplicavit. Quod cum Summus Pontifex gaudens rescivisset, maxima cum benevolentia, reliqua omnia ad negotium complendum parari iussit, ut felicissimo exitu factum est.

Hi duo Doctores Romani de causa nostri Sancti adeo benemeriti, fuerunt FR. EDUARDUS HUGON O. P., Collegii Internat. Angelici Vice-Regens, et DOM. FRANCUS DE WYELS O. S. B., in Collegio S. Anselmi de Urbe Vice-Rector.

Quoniam eorum studium S. Doctorem intimius persequitur et quodammodo graphice repraesentat, quo eius figura melius innotescat, visum est hic etiam ex eorumdem studio seorsim aliquid in nuere quod prodesse legentibus et gratum fortasse evadere possit.

(1) Cfr. “Positio de titulo Doctoris etc.„ Romae, 1925.

Votum primi Theologi ex officio

(P. E. Hugon O. P.)

Recolenda et prae oculis habenda est regula quam tradit Benedictus XIV (*De Beatif. et Canoniz.*, lib. IV, c. XI, n. 13): ad constituendum Ecclesiae Doctorem tria requiri, eminentem doctrinam, vitae sanctitatem ac Summi Pontificis, vel legitimi Concilii, declarationem.

Cum vitae sanctitas sit iam a S. Congregatione debite comprobata, inquirendum superest de doctrinae eminentia et de declarationis pontificiae opportunitate.

Ut autem de illa eminentia plene constet, attendendum erit tum ad insigniora testimonia, quae doctrinae famam ostendunt; tum ad molem seu numerum et praestantiam operum; tum ad praecipua scriptorum capita, quae doctrinam reapse eminentem demonstrant. Quibus consideratis, difficultates quae fieri possunt expendemus, ac demum iudicium proferemus de opportunitate declarationis pontificiae, qua constituatur Petrus Canisius Doctor Ecclesiae Universalis.

Deinde affert testimonia praeclariora a nobis quoque supra commemorata: operum etiam numerum et praestantiam recenset. Peculiaris est et novus ac scitu dignus ipsius S. Doctoris in doctrinis sensus ex epistola ad Verronium parochum relatus (Braunsberger, Vol. VIII, p. 270 ss.): in ea Sanctus ita loquitur:

1. *De theologiae necessitate, indole ac praestantia.* « Plerique studiosi parum expendunt *hanc omnium artium arcem ac Reginam existere*, et quam imbecillos ipsi adferant humeros, ut ingentia, quibus multi succumbunt, Theologiae pondera, ut sic dicam, sustineri possint. Pondus est Biblices litteris, seu Theologiae, ut vocant, *positivae* iustam operam dare et in hunc usum linguarum cognitione pollere. Pondus est scholasticis doctoribus atque libris, in quibus Theologia vel maxime florere solet, se totum mancipare. Pondus est in conscientiae casibus, quos vocant et in practica Theologia diu seduleque versari, ut sacramentum confessionis rite administretur. Pondus est concionandi muneri, ex quo tam multa pendent, satisfacere, ut cum fructu audientium Dei verbum disseminetur. Pondus est in Theologia mystica, uti vocant, quiete domi vacare ut optimam cum Magdalena partem eligas, ac divine philosopheris. Pondus est denique veterum Theologorum scripta sic evolvere, ut genuinum divinae Scripturae sensum ex illis eruas, ac Patrum sententias inter se conferas, sciteque nostris accommodes temporibus, tum ad novas haereses profligandas, tum ad Ca-

tholicae fidei dogmata propugnanda, tum ad solida verae pietatis officia in nobis ac aliis promovenda ».

2. *De praevio philosophiae studio.* « Magnos in scholastica Theologia progressus frustra meditatur, qui nunquam in ea praeceptores docentes audivit, et firma non iecit philosophiae fundamenta, quae apud Germanos quidem modice praveque traduntur, et qui in disputandi palestra sese, uti decebat, minus exercuit. Huic igitur nec auctor nec admonitor esse velim, ut in scholasticis Theologis evolvendis multum operae ponat, nisi bonas horas male velit perdere ».

3. *De lectione S. Scripturae.* « Praestat etiam novi quam veteris testamenti libros excutere, magnamque observationem habere Apostolici spiritus, ut non cognoscamus modo, sed etiam ad omne opus bonum instructiores et alacriores in dies efficiamur ».

4. *De usu Patrum, Theologorum et Conciliorum.* « Nam et Patrum esse proprium solet, copiose laudare virtutes et a vitiis abducere christianos. Cavendum interim ne tanto Patrum amore capiamur, ut recentiores alios Theologos negligamus, qui, tametsi sermone ac eloquentia minus valeant, tamen clariorem et evidentiorem lucem ostendunt in his quae ad certa firmaque fidei dogmata cognoscenda et stabilienda spectant. Adeo magni interest, ut quae Spiritus Sanctus in posterioribus Conciliis atque doctoribus luculentius definivit, bonus Theologus imprimis observet. Legantur Patres frequenter ab his quibus satis otii superest, ut pie graviterque loquentes illos audiant, ac veluti divini Spiritus organa et lumina Ecclesia splendentia revereantur ».

Haec sufficienter evincunt Epistolam huiusmodi esse, praesertim pro parochis, veram *Studiorum Rationem*, quae iam recentis Codicis determinationibus feliciter praeivit praesertim quae spectant necessitatem philosophiae arctamque necessitudinem *positivae* theologiae cum *speculativa.*

Hac ratione Theologus vel ex ipsis Sancti epistolis doctrinam eius eminentem comprobat: fusius autem in operis " De S. Ioanne Baptista „ analysi, ubi (Canisius) " acutum et doctissimum polemistam se prodit „ et praecipua dogmata de peccato originali, de iustificatione, de necessitate bonorum operum contra novatores evincit ac tuetur.

Sed studium P. Hugon merito in opere " De Maria Virgine „ longius fit, doctrinam nostri Sancti de immaculato Virginis conceptu, de gratiae plenitudine, de virginitate perpetua, de gratia et sanctitate ex Christi praesentia, ac demum de Mediatrice omnium gratiarum, admirabundus perpendens. De Virgine sub hoc postremo titulo (nostris diebus tam saepe Eidem attributo) haec Sanctus habet:

De Mediatrice omnium gratiarum. Clare et diserte vindicat Canisius doctrinam de Maria omnium gratiarum Mediatrice, licet post Christum et sub Christo. « Et stomachantur adhuc Novatores, quod Mariam, non modo Reginam misericordiae, se et *Mediatricem*, cum Damasceno (catholici) nuncupent. . . Nec idcirco magis a Deo et Mediatore Christo fidem atque spem nostram abducimus, quam vir doctus aeque ac sapiens Bernardus abduxit, cum in hunc modum scriberet : « Exaudiet utique matrem Filius et exaudiet Filium Pater . . . *opus est mediatore ad Mediatorem istum : nec alte nobis utilior quam Maria* ». — At vide interim quantum ille discriminis inter utramque personam agnoscat et statuat, significanter inquiens : « Dulcissimum Mariae nomen cum laude invocantibus servulis, per te, Regina clemens, *gratiae suae munera largiatur* Iesus Christus filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in coelo ». (Lib. IV, c. XIII, p. 497, 502).

Caput deinde integrum " Summae Doctrinae Christianae ,, studio Theologus noster impendit. Eius operis quam plura excerpta depromit : v. g. De vera Christi Ecclesia et Romano Pontifice, de Sacramentis, de peccatis, de Consiliis evangelicis. Postremo in opere " Notae in Evangelicas lectiones ,, eadem methodo versatur. Et concludit his verbis :

Operae pretium non esset plura evolvere aut inquirere : tum insigniora testimonia, tum moles et praestantia operum, tum excerpta quae attulimus, liquido evincunt doctrinam B. Canisii eminentem esse.

Verum fatendum est aliquid desiderari, ac dolendum est, plura tanti viri opera, eaque eximia, nonnisi difficillime prae manibus haberi posse.

Quapropter votum profero, ut, sicut iam *Epistularum* optima prodiit editio, ita completa et commoda caeterorum operum editio curetur et quantocius publicetur.

Oportet quippe ut opera Doctoris Ecclesiae, si Doctor reapse constituitur, de facili possint consuli.

Demum quam opportune et provide novum hoc sidus in coelo radiaverit, nova haec lampas, depulsis quibuscumque obstantibus difficultatibus, accendi debuerit, toto ultimo capite, quod sic est, ostendit :

De opportunitate pontificiae declarationis qua B. Petrus Canisius constituatur Doctor Ecclesiae.

Potest quaestio solvi tum *negative,* ostendendo argumenta quae in contrarium obiiciuntur non consistere ; tum *positive*, evolvendo rationes quae opportunitatem suadent.

— *Obiicitur* 1 : Videretur S. Congregatio *praecipitanter* procedere,

si eodem actu formalem canonizationem cum formali declaratione doctoris coniungeret, dum constat clare, tum in S. Francisco Salesio tum in S. Alphonso, fuisse hos duos actus sat longo intervallo separatos.

— *Resp.* : Nulla est Ecclesiae lex quae prohibeat aut impediat quominus declaratio doctoris cum canonizatione coniungatur ; imo constat non semel coniüngi.

Si sermo sit de iis qui iam colebantur in aliqua Ecclesia, sed nondum erant formaliter canonizati, certum est plures fuisse eodem decreto declaratos sanctos et doctores. Sic de Petro Damiano dicit Breviarium Romanum, 23 februarii : « Leo vero duodecimus Pontifex Maximus Officium Missamque in eius honorem tamquam Confessoris Pontificis, quae aliquibus in dioecesibus atque in ordine Camaldulensium iam celebrabantur, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, *addita doctoris qualitate ad universam extendit Ecclesiam* ». De S. Beda : « Eum tamquam Doctorem a Benedictinis aliisque religiosis familiis ac dioecesibus cultum Leo decimus tertius Pontifex maximus ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, *universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, et festo ipsius die Missam et officium de Doctoribus ab omnibus recitari decrevit.* »

Si autem canonizatio solemnis et declaratio doctoris fuerunt separatae in S. Francisco et S. Alphonso, id ex specialibus adiunctis explicari potest. Quando enim S. Franciscus fuit Sanctorum albo insertus, an. 1665, nondum erat inducta praxis, quae postea invaluit, facilius constituendi doctores Ecclesiae ; siquidem tunc quatuor dumtaxat ex Ecclesia Latina et tres tantum ex Ecclesia Graeca Doctores formaliter colebantur et insuper S. Thomas et S. Bonaventura. Praeterea animadvertendum est canonizationem S. Francisci contigisse 43 annis post eius mortem, quum eius scripta nondum essent ita diffusa et probata, ut constaret de illa doctrinae eminentia, quae ad Doctorem Ecclesiae constituendum requiritur.

Idem fere dicendum videtur de S. Alphonso, quippe qui fuit canonizatus 53 annis post mortem, dum eius opera a pluribus viris doctis, etiam episcopis, oppugnarentur : necdum constabat de illa doctrinae eminentia, quae fuit postea anthentice agnita.

De Canisio autem non possunt huiusmodi difficultates moveri ; nam Ecclesiae disciplina de doctoribus constituendis est magis determinata, et tot ab eius morte effluxerunt saecula, ut doctrinae eminentia potuerit omnino innotescere et vindicari, ut ex praedictis constat.

Obiicitur 2: Nulla videtur ratio cogens *tam celeriter* procedendi ; nec enim apparent cur B. Canisius constituatur doctor prae aliis pluribus Sanctis, qui doctrinae eminentis fama illum superant vel saltem aequant : ut S. Raymundo de Peñafort, qui scientia canonica adeo floruit et qui

saltem nunc, publicato *Codice*, deberet titulo Doctoris decorari ; S. Antonino, qui et canonica et morali scientia in tota Ecclesia eminet ; S. Ioanne a Cruce, qui scientiae mysticae magister insignis est.

— *Resp.:* Haec oportuit facere et illud non omittere. Quando illi tres laudati viri fuerunt in albo Sanctorum inserti, nondum vigebat in Ecclesia praxis iam facilior constituendi doctores. Si fieret hodie illorum canonizatio, esset utique ratio coniungendi etiam declarationem doctoris ; imo, si propositio fieret constituendi quam primum Ecclesiae doctores S. Raymundum de Peñafort, S. Antoninum, S. Ioannem a Cruce, ego libenter annuerem, quum perspectum mihi sit illos doctrina eminenti sicut et sanctitate pollere. At id minime impedit quominus in B. Canisio coniungatur formalis canonizatio cum declaratione doctoris.

Militant quippe rationes optimae :

Imprimis, pro universa Ecclesia, quae, sicut contra Calvinismum habuit invictum doctorem S. Franciscum Salesium, ita contra Lutheranismum opponit triumphantem doctorem S. Canisium, quaeque igitur contra nova errorum pericula in spem fortissimam erigitur novasque assumit vires, dum novo doctore ditatur.

Secundo, pro illis regionibus, quarum ille apostolus extitit, nempe Hollandia, Helvetia Alsatia, Germania, Austria, Bohemia, Hungaria, etc. Nam, sicut olim eius opera fuerunt ab haereseum lue defensae, ita hodie, suo Doctori adhaerendo, valebunt ingruentibus erroribus resistere et Catholicae Ecclesiae firmius coniungi.

Tertio, pro Societate Iesu. Quum enim constet Deum Luthero eiusdemque temporis haereticis S. Ignatium et institutam ab eo Societatem obiecisse, congruit omnino ut illa Societas proprium doctorem habeat Canisium, qui finem propter quem ipsa fuit instituta, egregio prorsus modo attigit, Lutheranismum tam fortiter debellando.

Pergratum sane mihi est haec gaudia Societati Iesu optare, sicut plures Ord. Praed. Canisium encomiis ornarunt.

Ioannes Fabri illum viventem laudavit : eius scripta commendant praesertim Graveson et Natalis Alexander. Ipse autem B. Canisius de universo Praedicatorum Ordine benigne pronuntiat : « Dominicani . . plurimos doctissimosque Theologos in sua familia et pepererunt et conservaverunt ». — « In his quae ad Mariae cultum et invocationem pertinent, iidem sui principis Dominici, viri profecto sanctissimi, exemplum pulcherrimum probe sunt imitati. » (Cfr. P. Braunsberger, *Epistulae Canisii,* vol. 8, p. 599).

Laetabitur utique Praedicatorum familia, si Canisius simul et sanctus proclametur et doctor Ecclesiae constituatur, quod etiam optat de S. Raymundo et S. Antonino in futurum.

Quarta nec spernenda ratio adduci potest. Quum in votis multorum sit, ut edatur Catechismus universalis pro tota Ecclesia, opportune

institueter doctor, qui in proponenda catechistica doctrina adeo excelluit; et sicut Leo XIII Catechetis Ecclesiae Orientalis magistrum egregium praebuit, S. Cyrillum Hierosolymitanum inter doctores annumerando, ita Pius XI Catechetis Ecclesiae Occidentalis ducem ac patronum novum dabit, Canisium Ecclesiae Doctorem constituendo.

Quapropter, omnibus perpensis, concludendum censeo *nihil obstare, sed potius expedire et opportunum esse, ut B. Canisius inter sanctos Ecclesiae doctores annumeretur.*

Salvo tamen sapientiori S. Congregationis iudicio, cui omnia humillime subiicio.

Fr. Eduardus Hugon, O. P.
S. Theologiae Magister
Collegii Internationalis Angelici
Vice-Regens.

Votum secundi Theologi ex officio

(P. Dom. Franc. de Wyels O. S. B.)

Utrum titulus « Doctoris Ecclesiae » convenienter dari possit Beato Petro Canisio?

Attentis numerosis litteris postulatoriis Cardinalium S. R. Ecclesiae, Archiepiscoporum, Universitatum catholicarum necnon Virorum illustrium, ut nempe Beatus Petrus Canisius, mox Sanctorum catalogo adscribendus, simul Doctoris Ecclesiae titulo decoretur, ab Eminentissimo Domino Cardinali Vico, SS. Rituum Congregationis Praefecto, de Mandato Summi Pontificis Pii XI, nobis honorificum fuit commissum onus formulandi votum, de opportunitate tam eximii et singularis tituli futuro Sancto Petro Canisio concedendi.

Ad quod opus, licet libenter at non absque aliqua scrupolositate nos accinximus. Fatemur enim nos hucusque nonnisi imperfectam et inadaequatam valde cognitionem habuisse sin minus apostolatus at saltem scriptorum Beati Canisii. Quae sane ignorantia nostra causa fuit, ob quam prima fronte insufficientes adesse nobis visae fuerint rationes ad concedendam summam illam honorificentiam. At vix incepimus percurrere vitam et scripta Beati Canisii, ut inexpectata quaedam lux nobis affulserit. Irresistibili namque vi tum eius labores apostolici et magisterium cum eius scripta, sive catechetica, sive ascetica, sive dogmatica, *eminentem* illam proclamant doctrinam quae iuxta classicum opus Benedicti XIV (*De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione* L. IV. P. IIa, C. XI. n. 13) est conditio essentialis ad costituendum Ecclesiae Doctorem, supposita sane insigni vitae sanctitate et declaratione Summi Pontificis aut Concilii Generalis.

Idem Benedictus XIV, nixus auctoritati Bonifacii VIII, sequentibus verbis indicat quid nomine talis *eminentis doctrinae* veniat: « Quod videlicet per eam errorum tenebrae fuerint profugatae, obscura fuerint dilucidata, dubia declarata, Scripturarumve aenigmata reserata» (l. c. n. 14).

Istae conditiones in vita et scriptis Beati Canisii tam perfecte et superabundanter verificantur, ut ei, qui vel solum a limine salutaverit eius biographiam et opera, statim sese obtrudat quam digne et iuste illi Beato simul cum « sanctitatis » corona etiam titulus « Doctoris Ecclesiae » conferretur.

Quod ut manifestum fiat, sufficit ex vita Beati Canisii excerpere selecta quaedam facta, ad rem spectantia, et simul succinctam analysin instituere praecipuorum operum quae vix non omnia cum eius apostolatu intime connexa et contexta sunt. Inutile autem videtur hic recensere catalogum omnium operum, quae Beatus Canisius edidit, cum talis nuda enumeratio pro nostro scopo nec requiratur nec sufficiat.

Iuxta propositum suum Auctor in *prima sui operis parte* totus est in exponenda vita theologica et studiosa Sancti Petri ut qui in sua vita etiam apostolica studiorum et scholarum instaurationem a prima grammatica ad supremam theologiam ad omnium, sed prae primis iuventutis institutionem semper intenderit. Operibus et testimoniis id contendit et evincit, apprime auctoritate Summorum Pontificum nisus, ut videre est supra etiam in hac nostra scriptione.

In secunda parte scriptorum examen instituit. In quo cum altero theologo convenit. Diffusus est — optime ad rem — in disserendo de Summa Doctrinae Christianae " opus quod plus celeris omnibus nomen eius (Canisii scil.) illustravit „.

Tum accedens ad opus " De corruptelis „ nihil aptius gratiusque facere poterat quam ipsa verba, quibus S. Auctor mentem suam ac rationem et dispositionem operis manifestat, referre; quod praestat, et multis — quibus tales libri desunt — utile ac iucundum erit hic sublegere. Ita ergo in epistola dedicatoria ad Ferdinandum Austriae Archiducem Sanctus loquitur:

« . . . Ego vero, cum ipse mecum diligentius cogitarem, quanta esset his praesertim temporibus, multorum in sacris litteris perverse tractandis atque corrumpendis vel licentia, vel insania, et quanti hinc malorum fluctus ac tempestates christianum orbem obruerunt, totamque Christi Ecclesiam ex omni parte concussam exagitarent, operae pretium me facturum putavi, si omne meum studium eo potissimum conferrem, ut multiplices verbi Dei corruptelas, quae hac aetate nostra latissime

patent, investigarem, et quantum quidem per occupationes liceret, literis consignatas in lucem aspectumque proferrem.

« Quam ad rem in primis me permoverunt ut novi, sic petulantes plane scriptores ii, qui ab historia illa sua Ecclesiastica per Centurias edita id nominis, ut Centuriatores dicerentur vulgo sunt consecuti. Etenim in horum voluminibus, quae illi sane multa et ingentia conscripserunt, non pauca videre licet, quae ob insignes Novi Testamenti et historiae Evangelicae depravationes, partim iustam indignationem, partim vero commiserationem piis omnibus non mediocrem merito adferant. Quis enim de Christiana Republica bene sentiens, aequo animo ferre possit, audacissimos homines Dei verbum sic interpretari, ut omni antiquitate contempta, et communi doctorum iudicio saepe repudiato, veritatem Evangelicam, qua nihil nobis antiquius esse debebat, ad sectas novas contra veteris Ecclesiae doctrinam corroborandas, et ad prava dogmatum instituta confirmanda, omni abiecto pudore rapiant malitioseque convertant? Quem autem non misereat, tam multos, praesertim rudiores, ex istorum authorum impuris lacunis aquas minime salutares haurire, et pro antidoto exitiale venenum bibere: neque solum curas bonas in hujusmodi Centuriis malis evolvendis perdere, verum etiam christianae pietatis et fidei magnum facere detrimentum?

« Iam vero, quoniam Centuriarum libri sylvam et materiam confutandi amplissimam continent, et ex eis infinitae propemodum corruptelae possunt proferri, satis nobis in praesentia videbatur fore, si ad maxime honoratas Evangelii personas nos converteremus, easque divina ope confisi vindicandas nobis proponeremus. Inter has vero primum Ioanni Baptistae locum tribuimus, de quo tam multa et admiranda nobis Evangelii scriptores tradiderunt, quemque Christus ipse ceteris mortalibus illustri praedictione longe anteposuit. Eius autem non solum eximiam vitae innocentiam et sanctitatem ab istis malevole oppugnatam defendimus, sed et caetera, quae de illo in sacris literis perscripta, ab istis vero insigniter depravata sunt, ex Patrum magis quam nostra sententia, voluimus interpretari. Neque enim nos fugit, quam praeclare dixerit, suoque exemplo Christianos omnes admonuerit Basilius vere Magnus, cum ad Antiochenam Ecclesiam ita scripsit: « Nos fidem neque ab aliis scriptam, nobis novitiam admittimus, neque ipsi mentis nostrae germina sive cogitationes tradere audemus, ut verba religionis humana commenta esse non existimentur: verum quae a Sanctis Patribus edocti sumus, ea interrogantibus nos annuntiamus . . .».

Rationem vero operis "De Maria Virgine" Sanctus idem his verbis reddit ex epistola dedicatoria ad Albertum Bavariae ducem:

« . . . Quocirca huius depravati, ne dicam furiosi saeculi improbitate permotus, committere non potui, quin maledictis benedicta quaedam

opponerem, et pro mea erga hanc talem tantamque Matrem observantia, scriberem aliquid, quod si placare non posset adversarios, at certe quidem doctrinam Ecclesiae firmiorem, et fortassis etiam aliquanto illustriorem fratribus redderet. Quod opus ut late admodum patet (plenum est enim contentionum) *sic etiam in recessu plus habere videtur, quam prima fronte promittat*: ideoque nobis, si verum fatendum est, non mediocri labore constitit, praesertim quia bellum, ut sic dicam, Marianum conficiendum fuit in quo cum hostibus insidiosis, versipellibus, pervicacibus confligeremus, qui nulla se ratione vinci patiuntur, sed et victi manus dare nolunt, et more anguillarum lubrici, quoquo illos modo apprehenderis, arte et fraude quadam elabuntur ».

Ex Praefatione haec sunt animadvertenda:

« Ad extremum ut nostri consilii ac instituti rationem aperiamus, atque hinc rectius de praesenti opere iudicari possit, primo quidem libro ea complectimur, quae primam Marianae historiae partem necessario tangunt: nimirum de tantae Virginis nomine, genere, parentibus, conceptu, ortu, annis puellaribus, primisque studiis ac totius vitae moribus, quantum nos quidem ex veterum scriptis potuimus investigare. Secundum librum dedimus Mariae virginitati, quod ea longam magnique momenti tractationem exigat, si praesertim, quae illi adhaerent alia, cum iudicio excutiantur. Tertius liber Angelicam salutationem defendit, ac multos refellit errores, qui in Mariam Dei et hominis Matrem incurrunt. In quarto libro certos Evangelii locos, quibus in eiusdem Virginis iniuriam Novatores nunc maxime abutuntur, expendimus atque vindicamus. Quintus demum liber de Dominae nostrae in coelos transitu, sive ut nunc loquimur, Assumptione disserit, eumque cultum religiosum et legitimum asserit, quo Deiparam in coelis modo regnantem prosequitur, et usque per aetates omnes prosecuta est Ecclesia Dei. Atque hoc de praesentis operis distributione, ac singulorum librorum argumenti indicasse sat sit ».

Deinde prosequitur R. P. de Wyels.

Nolumus autem his citationibus finem imponere quin partem essentialem transcripserimus ex mirabili illa « Authoris confessione » qua ipse Librum istum absolvit, quaeque optimum est speculum, ut ita dicam, actitudinis mentalis, quae moderabatur compositioni huius libri necnon omnium operum Beati Canisii:

« Confiteor ore ad salutem, quidquid corde ad iustitiam ab Orthodoxis atque Catholicis creditur. Non novi Lutherum, Calvinum respuo, Haereticis omnibus dico anathema: nihil mihi cum his commune esse volo, qui unum non dicunt et sentiunt, eamdemque fidei non

tenent regulam cum Una, Sancta, Catholica, Apostolica et Romana Ecclesia. Si quis vero Christum non solum in verbo scripto docentem, sed in Oecumenicis etiam Synodis iudicantem, in Petri Cathedra sonantem, et in Patribus testificantem audit ac sequitur, huic ego communione consocior; cuius et fidem amplector, et religionem sequor, et doctrinam probo. Quam enim alii blasphemi contemnunt et persequuntur Romanam Ecclesiam, ac velut antichristianam execrantur, eius ego me civem esse profiteor, ab eiusdem authoritate non latum unguem discedo: ob illius testimonium vitam et sanguinem profundere non recuso, nec alibi prorsus, quam in eius unitate Christi Domini merita, et Sancti Spiritus dona mihi et aliis salutaria fore confido, certoque persuasum habeo. Cum Hieronymo libere profiteor: Qui Petri Cathedrae iungitur, meus est. Cum Ambrosio Ecclesiam Romanam in omnibus cupio sequi; eamque Catholicae Ecclesiae radicem et matricem cum Cypriano reverenter agnosco, in qua semper, ut Augustinus praedicat, Apostolicae Cathedrae viguit principatus. In ea vero fide atque doctrina conquiesco, quam puer, hausi, adolescens retinui, atque hactenus pro mea exiguitate defendi. Caeterum ob nullum commodum temporarium, nec in hominis cuiusquam gratiam, vel adversus conscientiam (sic te mihi, Deus, propitium semper opto) Doctoris Catholici partes hucusque sustineo, aut in posterum sustinebo. Quam Confessionem non aliud sane a me exigit et extorquet, nisi Nominis et honoris tui ratio, nisi agnitae veritatis vis, nisi Canonicae Scripturae disciplina, nisi Patrum sensus atque consensus, nisi debitum fidei apud fratres testimonium, ac demum nisi expectata in coelo salus, et proposita sinceris Confessoribus beatitudo. Quod si propter eiuscemodi confessionem contemnor, si oppugnor, si traducor, singularem agnosco et praedico gratiam tuam, Deus, qui partim velis me propter iustitiam pati, quod certe beatorum est, partim nolis mihi benevolos esse illos (quod in magni lucri parte ponendum est) qui tibi amici esse non possunt, cum Ecclesiae tuae et veritati Catholicae palam adversentur. Sed ignosce illis, Pater, ignosce; quia vel nesciunt, vel scire nolunt, quae faciant, partim tetri Satanae imperio incitati, partim falsae doctrinae praestigiis impediti. Hanc vero gratiam mihi perpetuo serves oro, ut quam tibi, quam Ecclesiae, quam veritati sinceram constantiam, et constantem sinceritatem debeo, eam tum vivens, tum moriens testatam facere non desistam, neque a charitate tua unquam excidam, particeps nimirum omnium timentium te, et custodientium mandata tua in sancta Romana Ecclesia. Cuius demum iudicio me scriptaque omnia mea, ut libenter, ita reverenter etiam subicio ».

Ad extremum, discussis “ Notis Evangelicis „ et “ Epistulis „ pro quibus quas retulimus supra laudes refert, Theologus votum suum his verbis concludit:

Sed haec iam dicta sufficiant, ut iudicium ferre liceat de convenientia concedendi titulum « Doctoris Ecclesiae » Beato Canisio, quamprimum in catalogum Sanctorum fuerit relatus.

Ex brevi conspectu et analysi praecipuorum operum Beati Canisii tanta elucet copia, integritas, opportunitas et efficacia doctrinae, ut non minus « *editis optimis libris* » quam « opportunis concionibus aut disputandi subtilitate et scholis institutis », alter post Bonifacium Germaniae Apostolus meruerit appellari (Leo XIII, 1 aug. 1897).

Si forte minus « *nova* », sub respectu theologico, elucubraverit, hoc sane in laudem ei vertendum, nam praecipuum videtur eius meritum quod contra « *novas* corruptelas Verbi Dei » et *novatorum* saeculi XVI deliramenta, invicto ore et calamo « *veteres* » et immutabiles Scripturae vel Ecclesiae doctrinas et traditiones vindicaverit, vetera novis illustrando et augendo, non nova sed nove tradendo et inviolabile fidei depositum integerrime servando non pro suo aevo tantum, sed et pro innumeris generationibus subsequentibus.

Nonne tam salubris et immensa efficacia scriptorum et apostolatus Canisii optima sunt criteria tam *eminentis* doctrinae, quae Doctoris Ecclesiae characteristicam sese manifestet? Si verum sit in rebus moralibus illud effatum evangelicum: « Ex operibus eorum cognoscetis eos », at non minus in doctrinalibus: si igitur iudicare oporteat de eminentia doctrinae Beati Canisii ex fructibus, quos pro conservatione vel instauratione fidei catholicae et pro salute animarum protulit, omnia conclamare videntur: Dignus est operarius mercede sua! Dignus est Canisius cui Ecclesiae Doctoris titulus annuente Summo Pontifice feliciter regnante conferatur!

Nec enim videtur ratio postponendi hanc declarationem donec novum temporis lapsum post instantem eius Canonizationem decurrerit. Tempus enim elapsum a morte Beati Canisii abunde sufficit ut de valore eius doctrinae ex eminenti effectu possit iudicari, nec ulla apparet ratio — suppositis supponendis — cur non possit collatio tituli Doctoris conferri simul cum adscriptione Beati in catalogum Sanctorum.

Quapropter, hanc praecipuam honorificentiam, quam tot S. R. Ecclesiae Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Universitates catholicae et Viri illustres expetunt, quamque Hollandia, Belgium, Germania, Helvetia, Austria, Alsacia, Bohemia, Hungaria et Polonia, *suo* Doctori acclamare gestientes, exoptant, hanc etiam humili sed ardenti nostro *voto* petere liceat.

Die 25 aprilis 1925,
in festo S. Marci Evangelistae.

Dom. Francus de Wyels O. S. B.
Phil. et S. Theol. Doctor,
In Collegio S. Anselmi de Urbe
Sacrae Theologiae Dogmaticae Lector
et Vice-Rector.

Litterae Postulatoriae
A. R. P. N. Wlodimiri Ledóchowski
ad Summum Pontificem.

Beatissimo Padre,

Condotta ormai felicemente a termine la causa di Canonizzazione del B. Pietro Canisio, Vostra Santità nel Suo magnifico discorso del 29 Marzo con brevi ma felicissimi tratti si degnò mettere in chiara luce i meriti di quel grande Apostolo della Germania, chiamandolo " l'uomo che divise la sua vita tra le opere dello zelo apostolico e gli studi delle scienze sacre, la diffusione delle cattoliche verità con le sue opere dottrinali, controversistiche, liturgiche, catechistiche sopra tutto, e così in qualche modo divenne uno dei creatori della stampa cattolica, della rivista cattolica ". In queste parole sembrano mirabilmente compendiate le doti che Benedetto XIV insegna richiedersi in chi debba essere proposto e dichiarato Dottore della Chiesa: santità eminente e scienza insigne.

Prostrato pertanto al bacio del Sacro Piede, ardisco umilmente supplicare la Santità Vostra che voglia coronare la glorificazione di quel Servo fedele di Dio e della Santa Sede, dichiarandolo Dottore della Chiesa nella stessa Bolla con cui sarà ascritto nel catalogo dei Santi.

Nessuna positiva disposizione canonica vieta tale simultaneità e pare che nel caso presente ve ne siano gravi ragioni. Difatti la stessa Santità Vostra nel discorso sopra ricordato si degnò citare come caratteristica del Beato Pietro, che egli appartenga per qualche vero titolo a molte nazioni, o per la nascita, o per l'apostolato, o per la sua morte. Ebbene, tutte queste nazioni saluteranno con ineffabile giubilo il nuovo Dottore della Chiesa, delle cui dottrine esse più da vicino hanno sentito e sentono il benefico influsso, e ne trarranno salutare incitamento a stringersi sempre più a quella Chiesa, per la quale il loro Maestro ed Apostolo tanto ha lavorato e sudato. Questa esaltazione dell'infaticabile propugnatore dell'unità cattolica, in quest'Anno

Santo che anche sugli acattolici esercita un divino ascendente, sarà pure un invito, un pegno, una promessa del bramato ritorno di tanti fratelli separati dalla Chiesa, di quel ritorno all'ovile del Buon Pastore, che Voi, Beatissimo Padre, tanto desiderate e tanto Vi affaticate ad affrettare, di quella riunione di tutte le Chiese con la Chiesa Romana, che Voi nella stessa Bolla d'indizione avete proposto a tutto il mondo come uno dei principali fini a cui deve indirizzarsi questo grande Giubileo.

Quanto poi tale esaltazione del B. Canisio sia ardentemente desiderata, soprattutto in quelle regioni che hanno con lui gli speciali vincoli sopra accennati, appare chiaro dalle suppliche già pervenute, alle quali se ne vanno aggiungendo altre in numero sempre crescente, inviate da ogni parte del mondo, ma specialmente dall'Europa Settentrionale, e redatte tutte con piena convinzione e santo zelo di vedere riconosciuti ufficialmente i meriti dottrinali del Canisio. Sono Cardinali di S. Romana Chiesa, sono Arcivescovi e Vescovi, Capi di illustri Ordini Religiosi, Seminari, Associazioni numerosissime e autorevolissime, come quella degli Insegnanti e deiCatechisti di tutta la Germania; sono in modo speciale celebri Facoltà teologiche e Università Cattoliche, quella di Lovanio, per esempio, la cui supplica è notevole per profondità e sodezza; sono anche personaggi eminenti per dignità e meriti sociali, come il Cancelliere Marx e altri simili.

Non è dunque questa forse l'ora della divina Provvidenza, la quale nella sua infinita bontà e sapienza, come Vostra Santità così bellamente notò nel Suo discorso, sceglie i momenti più opportuni perchè la glorificazione dei suoi Servi torni anche di maggior utilità alla sua Chiesa? Il cingere la fronte del Canisio con la doppia aureola dei Santi e dei Dottori varrà a doppiamente obbligarlo a interporre la sua potente intercessione perchè l'auspicata unione religiosa, da lui in vita così mirabilmente promossa, giunga ora ad essere una felice realtà.

Ecco, Beatissimo Padre, le ragioni suggeritemi dalle Vostre auguste parole, per le quali ho osato umiliare ai Piedi Vostri questa supplica: Si degni la Santità Vostra riceverla benignamente e impartire a noi tutti l'Apostolica Benedizione.

Roma, Pasqua di Risurrezione,
12 aprile 1925.

Della Santità Vostra
Ultimo Servo:
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

Interpretatio latina:

Causa canonizationis B. Petri Canisii feliciter absoluta, Sanctitas Vestra eximia oratione, die martii 29 habita, brevibus sed concinnis ac splendidis verbis Apostoli Germaniae merita veluti in propria luce collocavit, cum eum dixit « virum illum qui vitam suam transegit inter apostolici zeli labores sustinendos, sacras disciplinas excolendas et catholicas veritates propagandas operibus suis doctrinalibus, sive de controversiis, sive liturgicis, sive praesertim catechisticis, ita ut unus e primis preli « periodici » catholici auctoribus aliquo modo evaderet ».

Hisce Vestris verbis videntur summatim perstrictae dotes, quas f. rec. Decessor Vester Benedictus XIV in eo exigit qui futurus sit Ecclesiae Doctor; sunt autem: sanctimonia eminens et doctrina insignis.

Ad osculum sacri Pedis igitur provolutus, Sanctitatem Vestram humillime efflagito ut fidelem illum Dei Sedisque Apostolicae Servum laurea Doctoris Ecclesiae, per eandem Bullam qua Sanctus declarabitur, insignire dignetur.

Nulla canonica dispositio obstare videtur quominus haec duo simul fiant: immo adsunt rationes quae id suadeant. Nam Sanctitas Vestra, in oratione allata, Beatum Petrum multarum nationum veluti concivem designavit cum ortu, apostolatu, magisterio ac vitae exitu ad alias et alias pertinuerit. Quanto igitur gaudio hae omnes gentes Doctorem salutabunt eum, cuius doctrina imbutae ac pervasae, magnam partem, fidem servaverunt! Quanto stimulo ipsis erit ut illi Ecclesiae adhaereant quam adeo deperiit earum Apostolus ac Magister!

Huiusmodi autem catholicae unitatis propugnatoris evectio, hoc anno Iubilaei peracta, quo anno divinum influxum cernimus in aversos etiam a catholica fide, excitamentum, pignus ac promissum evadet reditus eorum qui ab Ecclesia desciverunt, reditus inquam ad boni Pastoris ovile: quem reditum Sanctitas Vestra, Beatissime Pater, adeo peroptat ac totis viribus perurget ita ut ipsum tamquam unum e fructibus Iubilaei praecipuis, in ipsa Bulla indictionis, toti orbi assequendum proposuerit.

Quantopere vero haec Beati provectio desideretur ac expectetur, ab illis in primis nationibus quae, ut dictum est, aliquo peculiari nexu cum eo devinciuntur, manifestant supplices litterae quae iam pervenerunt et in dies semper frequentiores perveniunt, ab omni orbis parte missae, praecipue autem ab Europa septemtrionali; omnes firmum iudicium portendentes ac studium maximum ut corona Doctoris ob doctrinam Beatus a S. Sede pro merito condecoretur. Quas litteras mittunt S. Romanae Ecclesiae Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Ordinum Religiosorum Praesides, Seminaria, Societates quam plurimae, eaeque praestantes veluti « Docentium » et « Catechistarum » totius Germaniae; celebres Theologicae Facultates et Catholicae Universitates,

Lovaniensis verbi gratia, cuius epistola profunda et solida eminet: quibus et viri laici insignes, ut Cancellarius Marx similesque, suas adiunxerunt.

Non erit ergo haec hora a Divina Providentia ad hoc destinata? Siquidem assolet divina Bonitas ac Sapientia, ut Sanctitas Vestra egregie in sua oratione animadverterat, assolet inquam, ita suos Servos extollere tunc, cum id etiam in ingens Ecclesiae incrementum cedat. Igitur, Sanctissime Pater, in his adiunctis, cum duplici corona sanctimoniae ac doctrinae Beatum redemeris, duplici titulo Eum obligabis ut auspicata religiosa coniunctio, quam ipse dum viveret tantopere promovit, ipso intercedente, nostris diebus eventum felicem consequatur.

Beatissime Pater, explicavi causas ob quas ad Sanctitatis Vestrae pedes hanc supplicem epistolam humillime deponere sim ausus. Dignetur Sanctitas Vestra eam benigne excipere, nobisque omnibus apostolicam Benedictionem impertire.

Sanctitatis Vestrae
Ultimus Servus:
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

Litterae Postulatoriae
Cardinalium, Episcoporum, aliorumque clarissimorum virorum.

Ex Italia:

Em. Card. Petrus Maffi, *Archiep. Pisanus:*

"... E quibus (libris) vel unus Catechismus sufficeret ad immortalem gloriam Canisio comparandam propter immensam utilitatem, quam Ecclesiae attulit... Ad haec, si dicere licet, opus, quod Leo XIII incepit, Beatitudo Vestra complebit, absolvetque. Ipse enim Cyrillum Hierosolymitanum, Catechetarum orientalium principem, honoribus Doctoris Ecclesiae exornavit, Sanctitas Vestra Petrum Canisium, Catechetarum occidentalium lumen, eorundem honorum consortem declarabit... ".

Em. Card. Alexander Lualdi, *Archiep. Panormitanus:*

"... Deinde etiam peculiaris ratio me movet; singularis scilicet meus amor erga benemeritam Societatem Iesu, cuius Beatus Canisius perfectus extitit et filius et alumnus. Igitur, si Sanctitas Vestra Beatum Canisium Doctorem Ecclesiae universalis declarabit, Societatem Iesu singulari honore ac laetitia afficiet; quod mihi periucundum erit... " (1).

(1) Similia etiam alii nonnulli habent.

Em. Card. Victorius Amedeus Ranuzzi de' Bianchi.
Em. Card. Alexius Ascalesi, *Archiep. Neapolitanus.*
Em. Card. Eugenius Tosi, *Archiep. Mediolanensis:*

" . . . S. Carolus Borromaeus, Sanctitatis Vestrae in hac Mediolanensi Sede decessor, Petrum Canisium permagni fecit atque ab eo de rebus gravissimis consilia petiit. Testantur id litterae quae in bibliotheca nostra Ambrosiana asservantur. Canisii catechismus, cum idem S. Carolus ecclesiam nostram regeret, in typographia eius archiepiscopali typis exscriptus est. S. Carolus eum in archidioecesis nostrae Seminariis explicari iussit et Vicariis foraneis mandavit, viderent ut ludimagistri catechismum Canisianum pueris explicarent et ab iis ediscendum curarent. Id ex « Actis Ecclesiae Mediolanensis » intelligitur... Traditum est, Sanctitatis Vestrae in Sede Apostolica decessorem episcopo Lentiensi (Linz) dixisse: Se, si Canisium in Sanctis adnumeraturus esset, ad eum Doctorem Ecclesiae declarandum paratum fore... ".

Em. Card. Ioannes Bapt. Nasalli Rocca, *Archiep. Bononiensis:*

" . . . Si igitur Sanctitas Vestra Petrum Canisium, doctorem bononiensem, Doctorem Ecclesiae universalis declarabit, Bononiam nostram singulari honore afficiet... ".

RR. DD. Ernestus M. Piovella, *Archiep. Calaritanus.*
RR. DD. Franciscus Rossi, *Archiep. Ferrariensis.*
RR. DD. Angelus Paino, *Archiep. Messanensis et Archimandrita SS. Salvatoris:*

« . . . Beatus ille vir e primis sodalibus fuit Collegii Societatis Iesu Messanae a S. Ignatio conditae... Eius laus est etiam in Ecclesiis italicis. De Messanensi iam dixi. Romanae Ecclesiae primatum ille verbis et scriptis strenue defendit, Pontificum legationes obiit, eorum theologum egit in Concilio Tridentino, eorum nuntios atque ipsos Pontifices consiliis saluberrimis adiuvit. Laus eius est etiam in Ecclesia Lauretana; in huius aede maxima ipse peregrinationem illam sacram pro contione commendavit, et, id quod maius est, in aureo illo suo Opere Mariano Lauretúm amplissimis verbis celebravit. Bene ille meruit de ecclesiis Mediolanensi et Bononiensi; immo per totam Italiam magnam sibi laudem comparavit Catechismo suo, qui usque in Siciliam nostram penetravit atque vel italice vel latine non solum Romae, sed, ut bibliographi notarunt, in minimum 10 aliis Italiae urbibus excusus est... Quare mirum non est Canisii vitam saeculis XVII, XVIII, XIX apud nos a variis scriptoribus enarratam esse, et beatae memoriae Pium X, antequam in Petri Sedem evectum esset, orationem panegyricam de Canisio habuisse; immo Leonem XIII, Sanctitatis Vestrae decessorem (ut refertur), paratum fuisse ad Canisium, dummodo in Sanctos adnumeratus esset, Doctorem Ecclesiae declarandum... ".

RR. DD. Ioannes Bapt. Rosa, *Archiep. Perusinus.*
RR. DD. Antonius Lega, *Archiep. Ravennatensis et Episc. Cerviensis.*

RR. DD. Apollonius Maggio, *Episc. Asculanus in Piceno.*
RR. DD. Ioannes Pranzini, *Episc. Carpensis.*
RR. DD. Iosephus Angelucci, *Episc. Civitatis Plebis.*
RR. DD. Rogerius Bovelli, *Episc. Faventinus et Mutilanensis.*
RR. DD. Raphael Santi, *Episc. Feretranus (Montefeltro).*
RR. DD. Iosephus Fabbrucci, *Episc. Fidentinus (Borgo S. Donnino).*
RR. DD. Fr. Paulinus Ioannes Tribbioli, O. M. Cap., *Episc. Imolensis.*
RR. DD. Aloisius Cossio, *Episc. Lauretanus et Recinetensis.*
RR. DD. Vincentius Migliorelli, *Episc. Nursinus.*
RR. DD. Hersilius Menzani, *Episc. Placentinus.*
RR. DD. Aloisius Fogar, *Episc. Tergestinus et Iustinopolitanus.*
RR. DD. Caelestinus Endrici, *Princeps Episc. Tridentinus:*

"... Magnam operam dedit vir iste sanctus in Pontificio Collegio Germanico in Urbe stabiliendo, ex quo, cursu saeculorum, magna beneficia in Germaniam et in alias partes Europae profluxerunt. Sed maxime praecellit opera huius sanctissimi viri in Catechismo condendo, qui quodammodo viam aperuit methodo catecheticae in tradenda doctrina christiana iuvenibus et christiano populo. Hac via et ratione vere iste Sanctus lucerna ardens factus est populo christiano... ".

RR. DD. Antonius Bassani, *Episc. tit. Troadensis* (*Bononiae degens*).
RR. DD. Monaldutius Leopardi, *Episc. tit. Leptimagnensis, Admin. Apost. Auximanus et Cingulanus.*

Facultas theologica Bononiensis:

"... Deinde rationes quaedam peculiares hanc nostram theologicam facultatem Bononiensem movent. Concilio enim Tridentino anno 1547 ad tempus Bononiam translato, Petrus Canisius ibi Patribus Concilii operam navavit, atque in Congregationibus theologorum minorum semel atque iterum sententiam dixit. Postea, cum a Paulo III Roma Ingolstadium ad theologiam in ea Universitate docendam proficisci iussus esset, mandato S. Ignatii ex eo itinere Bononiam devertit. Ibi apud Ambrosium Catarinum, Episcopum et Ordinis Praedicatorum praeclarum theologum, et apud alios eiusdem Ordinis theologos examen, quod "*rigorosum*" vocabatur, subiit, et die 4 octobris, in festo maximi nostri Patroni S. Petronii, Doctor theologiae creatus est ab Ioanne Maria de Monte Cardinali Legato, qui paulo post futurus erat Summus Pontifex Iulius III. Igitur si Petrum Canisium, Doctorem bononiensem, Sanctitatis Vestra declarabit Doctorem universae Ecclesiae, Bononiam nostram singulari honore ac laetitia afficiet. Immo, si et hoc dicere licet, opus quod Leo XIII, sapientissimus Beatitudinis Vestrae decessor, incepit, prosequetur ac complebit. Ille enim Cyrillum Hierosolymitanum, Catechetarum orientialium princi-

pem, honoribus Doctorum Ecclesiae ornavit; Beatitudo Vestra Beatum Canisium, Catechetarum occidentalium lumen, eorundem honorum consortem declarabit... „.

† Ioannes Baptista Card. Nasalli Rocca, *Archiep. et Arcicancell.*
† Ioannes Pranzini, *Episc. electus Carpen., Vic. Gen.*

Sequuntur nomina aliorum Doctorum.

Seminarium Tridentinum:

Ioannes B. Mich, *Rector.*
Sequuntur Professorum subscriptiones.

R. P. Ludovicus Theissling, *Magister Generalis Ord. Praedicatorum*:

" ... Beatum Petrum Canisium, inclytae Societatis Iesu alumnorum praeclarissimum, quem Ecclesia Catholica uti omnium expectatio impleatur gloria canonizationis circumdare est gestitura, non solum exemplis vitae sanctis inter sibi coetaneos emicuisse verum etiam doctrinae suae copia fecundissimum apostolatum exercuisse in confesso est apud omnes... Et in tam ampla dignissimaque serie operum tum catechesim sacram tum apologiam Christianae religionis aliorumque pastoralis muneris scribendi genera respicientium hanc activitatem doctrinariam Beatus Petrus Canisius absolvit, ut eius instans canonizatio iam causam eius velut Doctoris Ecclesiae commendare videatur.

" Hac ideo motus ratione, ut meritorum doctrinae summorum Beati Petri Canisii aestimationem aperte profiteatur, et ut Sanctam Ecclesiam novo decore instructam eiusque doctrinale ministerium novo splendore ductam cerneret Ordo Fratrum Praedicatorum Sanctitati Vestrae devote supplicat, ut canonizatione Beati Petri Canisii adhuc instante, feliciter suo tempore absoluta, ipsum Canisium Sanctis Doctoribus Ecclesiae adscribere Sanctitas Vestra dignetur. Eo vel magis Ordo Praedicatorum hanc suam supplicationem devotissime coram Sanctitate Vestra enuntiat, quia iuxta tumulum sacrum Beati Petri Canisii, Friburgi nempe Helvetiorum, missionem doctrinae et scriptionis sacram, qua Canisius claruerat, ex Apostolica delegatione continuare quodammodo et prosequi ei contigerit... „.

R. P. Fr. Iosephus Antonius a Persiceto, *Minister Generalis Ord. Fr. Min. Cappuccinorum.*

Una cum Litteris Postulatoriis, ab ipso subscriptis dum in Brasilia Visitator Apostolicus versaretur, R.mus Pater pulcherrimam dedit Patri Nostro epistolam, in qua inter alia haec habentur :

" Di buon grado ho sottoscritto alla qui unita supplica e faccio i più fervidi voti affinchè essa ottenga il suo scopo. Il B. Pietro Canisio, che fra breve potremo chiamare Santo, nel suo tempo rifulse per dottrina e santità al punto di essere scelto anche da Principi della Chiesa quale guida ed aiuto. Anche ora il popolo cristiano ha bisogno di una tal guida

e di un tale aiuto; adoperiamoci pertanto affinchè questo luminare di santità e di dottrina risplenda anche oggi nel cielo della Chiesa. Sia egli in particolar modo di guida e di aiuto alla nostra gioventù, che all'ombra del santuario si prepara alle lotte contro l'errore; apprenda essa da un tal Maestro ad unire insieme pietà e dottrina, carità e costanza... „.

R. P. Fr. Elia Magennis, *Prior Generalis Ord. Carmelitarum.*
R. P. Fr. Lucas a Maria SS., *Praepositus Generalis Ord. Carmelitarum Excalceatorum.*
R. P. Angelus Zuffi, *Praepositus Congreg. Bononiensis Oratorii S. Philippi Nerii.*

Ex Germania:

RR. DD. Episcopi Germaniae, Fuldae coadunati:

"...Ab Apostolo Germaniae, sancto Bonifatio, ad cuius sepulcrum his diebus conferentiam nostram annuam peragimus animus noster gaudens se convertit ad alterum Germaniae apostolum, beatum Petrum Canisium... Quapropter Sanctitatem Tuam humiliter et instanter rogamus ut... titulo etiam Doctoris universalis Ecclesiae augeatur... „.

Huic epistolae subscripserunt:
Em. Card. Adolphus Bertram, *Episc. Wratislaviensis,*
Em. Card. Carolus Iosephus Schulte, *Archiep. Coloniensis.*
RR. DD. Paulus Gulielmus de Keppler, *Episc. Rottemburgensis.*
RR. DD. Iosephus Damianus Schmitt, *Episc. Fuldensis.*
RR. DD. Augustinus Bludau, *Episc. Warmiensis.*
RR. DD. Ioannes Poggenburg, *Episc. Monasteriensis.*
RR. DD. Carolus Augustinus Kilian, *Episc. Limburgensis.*
RR. DD. Gulielmus Berning, *Episc. Osnabrugensis.*
RR. DD. Iosephus Ernst, *Episc. Hildeschiensis.*
RR. DD. Gaspar Klein, *Episc. Paderbornensis.*
RR. DD. Ludovicus Maria Hugo, *Episc. Moguntinus.*
RR. DD. Christianus Schreiber, *Episc. Misnensis.*
RR. DD. Franciscus Rudolphus Bornewasser, *Episc. Trevirensis.*

RR. DD. Episcopi Bavariae, Monachii coadunati:

"... Beatus Petrus Canisius, secundus post S. Bonifatium Germaniae apostolus, verum columen extitit veritatis catholicae contra grassantem suo tempore haeresim Lutheri. Eius indefessis et doctis laboribus maxime debetur conservata in Germania Superiore fides catholica. Religionem avorum nostrorum acriter defendit in scriptis accommodatis tam lectori culto quam communi populo... Quodsi maximum ornamentum Doctorum Ecclesiae consi-

stit in doctrina sancta practica et efficacia magisterii permanenti, pauci forsitan eo in genere B. Petro Canisio aequiparantur. Sufficit commemorae eius catechismum triplicem (doctum medium et popularem) iam eo vivente in 200 editionibus et 20 linguis publicatum fuisse, eundemque per tria saecula instrumentum usitatissimum in Germania mansisse ad mentes erudiendas et mores christianos efformandos; adeo ut beatus auctor merito vocari possit Germaniae non solum apostolus sed et praeceptor catholicus... Accedit quod in praesenti statu discriminis publici Protestantismi quo premitur post revolutionem Germania, merito sperandum est doctoratum Petro Canisio attributum ope tam subsidii eiusdem caelestis quam exemplo vitae suae vehementer conferre posse ut, sicut eius *oratio* habet, « errantium corda ad veritatem resipiscant ». Advertere insuper liceat Germaniam huc usque destitutam esse ea praerogativa qua alii populi abundanter gaudent, ut aliquis Sanctus ex popularibus suis doctoratus Ecclesiae honore sit insignitus... „.

Huic epistolae subscripserunt:

Em. Card. Michael de Faulhaber, *Archiep. Monacensis et Frisingensis.*

Em. Card. Adolphus Bertram, *Princeps Episc. Wratislaviensis, uti hospes, nomine Fuldensis Episcoporum Conferentiae.*

RR. DD. Ioannes Iacobus de Hauck, *Archiep. Bambergensis et Adm. Apost. dioeceseos Herbipolensis.*

RR. DD. Franciscus Antonius de Henle, *Episc. Ratisbonensis.*

RR. DD. Ioannes Leo de Mergel, *Episc. Eistettensis.*

RR. DD. Sigismundus Felix de Ow-Felldorf, *Episc. Passaviensis.*

RR. DD. Ludovicus Sebastian, *Episc. Spirensis.*

RR. DD. Carolus Reth, *Episc. tit. Letaensis et Auxiliaris Augustanus.*

RR. DD. Gaspar Klein, *Episc. Paderbornensis*:

“... Recordamur, quam multa Canisius egregie scripserit ad haereses confundendas, fidem illustrandam, Sacram Scripturam interpretandam, Sanctorum, praesertim B. Mariae Virginis-Matris, cultum promovendum, orationis studium augendum. Ut unum ex eius, libris nominemus, Catechismus Canisianus per aliquot saecula tamquam sol per Europam et ultra, lucem sparsit splendidam et nostri quoque temporis catechismi magnam lucis suae partem ab eo mutuati sunt... „.

Capitulum Cathedrale Paderbornense:

RR. DD. Henricus von Haehling, *Episc. suffrag. et Decanus eccles. cathedr.*

Dr. Iohannes Leimeborn, *Praepos. eccles. cathedr.*

Sequuntur Canonicorum subscriptiones.

Collegium Episcopale philosophiae et theologiae Paderbornense:

Dr. Norbertus Peter, *p. t. Rector.*

Sequuntur Doctorum Professorum subscriptiones.

Capitulum Metropolitanum Coloniense:

"... Catechismo fidem veram et pietatem sinceram docuit [Canisius] sexcenties centena millia hominum... „.

Arnoldus Muddendorf, *Praepositus pro Capitulo.*

Capitulum Cathedrale Warmiense:

Franciscus Xav. Sander, *Praepositus.*

Sequuntur subscriptiones.

Facultas theologica Monachiensis in Bavaria:

"... Res enim nostra, scilicet patriae nostrae ac Facultatis nostrae theologicae hic agitur. Beatus enim Petrus Canisius totam vitam suam fidei catholicae in variis Germaniae regionibus praesertim in Bavaria defendendae ac tuendae impertivit, atque concionibus, praelectionibus, scriptis, ut patribus nostris ac proinde nobis bonum fidei verae catholicae pretiosissimum adservaretur, indefesse adlaboravit... Praeterea Facultas in Universitate Monachiensi theologica B. Petro Canisio titulum Doctoris Ecclesiae etiam hac de ratione decerni desiderat, quia ipsum Facultatis ac Universitatis nostrae, primo Iugolstadii erectae et abhinc centum ferme annos Monachium translatae, Professorem salutamus. Anno 1549 a Guillelmo IV, Bavariae Duce, cum duobus sociis Ingolstadium vocatus, in hac Universitate theologiam dogmaticam professus et anno 1550 officio Rectoris ac deinde munere Vicecancellarii functus est... „.

Nomine Facultatis theologicae Monachiensis:

Dr. Iosephus Goettler, *p. t. Decanus.*

Facultas theologica Universitatis Guilelmiae Guestfalae Monasteriensis:

"... Equidem noster est Beatus ille Vir: utinam omnium fiat, non tantum honore Sanctorum sed etiam dignitate et auctoritate Doctorum! Nostrum nos iure proclamare B. Canisium vel ex his elucet quae Reverendissimus Praesul noster Ioannes Monasteriensis Episcopus, votis synodi obsecundans, Sanctitati Vestrae exposuit, dum B. Petri Canisii specialia in dioecesim Monasteriensem merita, specialemque tum gentis tum originis viciniam cum nostratibus enumeraret... Quapropter Ordo Theologorum Universitatis Monasteriensis Sanctitatem Vestram enixe vehementerque rogat, ut quem habemus concivem, veneramur fidei tutorem, gloriamur officii collegam, B. Petrum Canisium, tum in Sanctorum numerum referre, tum Ecclesiae Doctorem supremo Tuo oraculo renuntiare digneris hoc ipso gratiarum anno... „.

Arnoldus Struker, *h. a. Decanus.*

Ordo theologorum Friburgensis (in Brisgovia):

"... Accedit quod immemorabiles paene litteras dedit quibus theologos provinciarum dissitarum ad studia praecipue historica colenda et Patrum opera recensenda et in lucem edenda provocavit et instruxit, ut quae ipse curis pastoralibus impeditus aggredi nequiret, per alios efficeret... „.

Iacobus Biltz, *h. t. Decanus, prof. theol. dogm., pro Ordine.*

Academia philosophico-theologica Bambergensis:

"... Feliciter sacram theologiam docuit, Patribus Concilii Tridentini operam praestitit, variis et quidem egregiis libris doctrinas theologicas illustravit, fidem catholicam strenue defendit, multosque hoereticos ad eandem reduxit, verbum Dei in maximum religionis emolumentum praedicavit, studia illis temporibus misere iacentia restauravit, institutionem denique populi christiani cathechismo ab eo composito mire promovit. Vere praeceptor Germaniae effectus est... „

Dr. theol. Philippus Kuhu, *Rector Acad.*
Sequuntur membrorum subscriptiones.

Seminarium Maius Coloniense:

"... Quam [*theologiam mysticam scil. Landspergii Cartus.*] cum recenti S. Ignatii ascesi tam pulcre coniunxit... Imprimis autem fidem moresque christianos nos docuit clarissimo illo catechismo suo, cuius editionem emendatam et quasi absolutam a. 1566 Coloniensibus solemniter dedicavit. Nos Seminarii maioris Coloniensis magistri gratis etiam animis recolimus, Canisium saluberrimum seminariorum ecclesiasticorum institutum semper diligenter commendasse atque imprimis amicum patronumque se praebuisse Collegio Germanico urbis Romanae, ex quo haud pauci operarii in messem Coloniensem prodierunt... „.

Dr. Ch. Berrenath, *Rector.*
Accedunt Professorum subscriptiones.

Seminarium Warmiense:

H. I. Taschin, *Seminarii Praeses.*
Sequuntur Professorum subscriptiones.

Academia philosophico-theologica Eystettensis:

Dr. Michael Rackl, *Rector.*
Sequuntur Professorum subscriptiones.

Academia philosophico-theologica Dilingana cum Seminario Dilingano:

Dr. Petrus Deusch, *Rector.*
Dr. Iosephus Hoomann, *Regens.*

Consociatio ad scholas catholicas per Germaniam conservandas et augendas:

"... In primis autem Eum appellamus instauratorem puerilis institutionis apud catholicos, cum et plurimis scholis conditis et cathechismo ad initia doctrinae christianae tradendae composito multium contulerit ad scholasticae rei emendationem. Nobis persuasum est fore ut, illo deprecatore singularis exempli viro, quem in nostro pro educatione catholica et christiana schola certamine coelestem patronum nobis delegimus, novae vires nobis adiciantur... ".

Marx, *Praeses*.

Societas Catechistarum scholarum elementarium in Germania:

"... 4200 sacerdotes in unione catechistarum Germaniae scholarum elementarium et annexarum in civitate Monacensi uniti, quorum maxima cura, ut sacerdotibus associatis optimam rationem demonstrent, qua veritates revelatae et praecepta religionis catholicae secundum normam magisterii ecclesiastici tradantur, ad pedes Vestrae Sanctitatis devotissime provoluti multis idem petentium precibus adiuncti instantissime atque profundissime petunt, ut Sanctitas Vestra canonizandum Beatum Petrum Canisium ad honorem *Doctoris universalis Ecclcsiae* promovere dignetur, praesertim cum sacerdotes usque ad praesentem diem operibus beati Canisii fruantur, id est catechismo, qui factus est origo et fons omnium librorum, quibus iuventus catechizanda instruatur. Si petentibus Beatum Canisium, alterum apostolum Germaniae, tamquam Ecclesiae Doctorem venerari liceret, adhuc maiori studio augendae et colendae in partibus Germaniae Ecclesiae catholicae imbuerentur... ".

Gustavus Goetzel, *Praeses*.

Consociatio Catholica Ludimagistrorum in Bavaria.

Consociatio Catholica scientiarum paedagogicarum Norimbergensis:

"... Beatus etiam Petrus Canisius, saeculo sexto decimo, quod nostris temporibus perturbatis haud erat dissimile, pro educatione christiana et fundatione rectorum educationis principiorum peregit praeclarissima... Nostrae quoque consociationis intentiones novo incremento crescerent, si brevi nobis liceret Beatum Confessorem Sanctum invocare, eumque Doctorem Ecclesiae specialem Patronum laboris nostri considerare... ".

Leonardus Habrich, *Prof.*

Societas Nobilium Catholicorum Rhenaniae et Westfaliae:

"... Peculiari ratione Germaniae nobilitas catholica Canisio obstricta est. Etenim is Episcopos nostros, qui pro illius aetatis more fere omnes ex ordine nobilium desumpti erant, laboribus apostolicis, consiliis, exhortationibus, intercessione apud Sanctam Sedem, plurimum adiuvit. Idem unus fuit e fundatoribus et praecipuis adiutoribus Collegii Germanici in

quo superioribus saeculis permulti educati sunt nobiles, qui deinde gravissima officia ecclesiastica magno cum fructu in Germania administrarunt... „.

Franciscus comes de Galen, *Praeses*.

Confoederatio scholarum catholicarum Germanica:

" ... Iuventutis christianae amicus ac tutor [Canisius] extitit fidelissimus... „.

Confoederatio iuventutis catholicae opificum Germanica.
Foederatio scholastica catholica Aquisgranensis.
Conventus Generalis Catholicorum Germaniae, anno 1924.

Ex Neerlandia:

RR. DD. Episcopi totius Hollandiae Ultraiecti coadunati:

RR. DD. Henricus van de Wetering, *Archiep. Ultraiettensis*.
RR. DD. Augustinus Iosephus Callier, *Episc. Harlemensis*.
RR. DD. Laurentius Ios. Ant. Humbertus Schrynen, *Episc. Ruremondensis*.
RR. DD. Hadrianus Petrus Hopmans, *Episc. Bredanus*.
RR. DD. Arnoldus Franciscus Diepen, *Episc. Buscoducensis*.

Facultas theologica Augustiniana in Hollandia.
Facultas theologica Congregationis Missionis in Hollandia:

" ... Catechismus B. Petri Canisii variis Catechismis nostrorum adhuc temporum tamquam fundamentum subiacet et exemplar... „.

Facultas sacrae theologiae Universitatis Cathol. Noviomagensis:

"...Sacram theologiam in Universitatibus docuit [B. Canisius] modo scholastico, quam methodum, illis temporibus valde odiosam, aptissimam vocavit, unaque cum doctrina B. Thomae semper retinuit... Totus erat in dirigendis iuvenibus in viam salutis... Nos, qui gaudemus Universitatem catholicam erectam esse in urbe natali B. Petri Canisii, quae non sine Canisii cura et pietate coelesti, sola catholica remansit ex omnibus civitatibus septem Provinciarum Confoederatarum, istas Sanctitati Vestrae oblatas preces communi quoque nostro suffragio obsecundare fidenter audemus ...„.

G. de Langen-Wendels O. P., *Fac. theol. Decanus*.

Facultas theologica Wertensis (Hollandia) Fratrum Minorum.
Facultas theologica Ord. Carmelitarum de Observ. Prov. Germano-Hollandicae.

Domus Geleenensis Ord. Carmelitarum Excalceatorum.
Professores et Auditores theol. ac philos. eiusd. Ordinis.
R. P. Gulielmus Gier, *Superior Generalis Societatis Verbi Divini.*
Consilium Supremum Societatis S. Vincentii a Paulo in Neerlandia:

Fr. M. Stanislaus, *Sup. Gen.*

Congregatio Fratrum Nostrae Dominae a S. Corde.
Fratres Immaculatae Conceptionis (Traiecti ad Mosam).
Seminarium Episcopale Bredanum in Hoeven:

Leonardus van Gils, *Praeses.*

Seminarium Maius Ultraiectense:

Antonius C. M. Schaepman, *Antistes Urbanus.*

Patres Maristae domus a S. Olavo. – Glanerbrug (Hollandia).
Seminarium Maius Ruremondense.
Civitas Noviomagensis (Nijmegen):

"... Cum laetus ad nos nuntius pervenerit ex innumeris fere orbis regionibus Archiepiscopos et Episcopos et omnis generis Societates supplices adire Beatitudinem Vestram, summos Caelitum in hac terra honores pro Petro Canisio petentes, Nos, cives Noviomagenses, civem nostrum, ut aequum et iustum est, imprimis colentes, non possumus non cum iis et quantum liceat prae iis accedere ad thronum Vestrum enixeque rogare ut in Sanctorum album mox inter Doctores Ecclesiae adscribatur. In hac enim nostra felici civitate, cuius viae, scholae, collegia, nosocomia, Canisii nomine iam sunt insignita, natus, et pie educatus, prima utique posuit fundamenta singularium illius virtutum aedificii quod nunc et amamus et admiramur omnes. Postquam cum S. Ignatii discipulis se consociavit, huc rediit, hic docuit per breve quidem spatium sed fructuose admodum, civibusque suis exemplum reliquit, cuius ad hanc usque aetatem non immemores, doctrinae ac pietatis instrumentum insignissimum, universitatem dicimus catholicam, intra maenia sua advocaverunt... „.

C. Vanson D. P., *Decanus districtus Neomagensis.*
Mathen, *Burgemeester.*
Plurimaeque aliae sequuntur subscriptiones.

Ordo S. Crucis (Crucigeri):

P. Abb. Hollmann, *Mag. Gen.*

Schola Trappistarum (Hollandia):

Fr. Victor V. D. Eynden, *Abbas S. Ios. in Echt.*

Directorium Studiorum Congregationis SS. Redemptoris (Hollandia):

I. van de Kar, *Director Studiorum.*

Sequuntur subscriptiones Lectorum theologiae etc.

Seminarium theologicum Haaven N. Br. in Hollandia.
Superior et Lectores theologiae Prov. Neerland. Congregationis Missionariorum SS. Cordis. – Stain in Hollandia.
Schola theologica Capuccinorum in Hollandia.
Unio Missionaria pro Indis (Sittard).
Consociatio pro moralitate Ruremondensis.
Curatorium Instituti R. K. Leergangen (Tilburg).
Unio a B. Petro Canisio Ultraiectensis.
Catholicarum Ephemeridum per Hollandiam Scriptores:

" ...Hisce operibus (litterariis) maximi valoris [Canisius] labores nostros quotidianorum periodicorum modo excellenti praeparavit... ,,.

Sequuntur duodeviginti ephemeridum sigilla, adiectis directorum nominibus.

Ex Austria:

Facultas Theologica Vindobonensis:

" ... Quod ut infimis precibus petant professores humillime subscribentes eo magis adducuntur, quod Beatus ille Petrus Canisius per plures annos, ab anno scilicet millesimo quingentesimo quinquagesimo altero usque ad annum millesimum quingentesimum quinquagesimun sextum, sacram docuit Theologiam in Universitate Vindobonensi, quin etiam decani munus ac honorem in illa Facultate theologica obtinuit.

" Ipse in hac, quae variis ex protestantium parte insidiisvehe mentissime circumveniebatur, catholica Universitate, praelectiones cum e Novo Testamento, tum e theologia generali habuit celeberrimas. Quae praelectiones auditoribus, qui deinde fidei catholicae veri Apostoli in variis Austriae partibus evasere, summae fuisse utilitati, nemo est, quin compertum habeat. Eo impensius autem preces proferuntur ab huius Universitatis Facultate theologica, quod rege Ferdinando I id flagitante, Beatus Petrus Canisius Universitatis Vindobonensis visitationem ac reformationem in se suscepit, qua reformatione catholicus huius Universitatis character ac habitus, qui ei ab originali institutione ex iure inest, aequo modo incolumis servatus est, quomodo Beatus ille Dioecesis Vindobonensis reformatione, quam felicissime peregit, totius fere Austriae extitit fidei apostolus.

" Immo vel ex hac causa theologicae Facultatis professoribus has preces fundere licebit, quod Beatus Petrus Canisius in ipsa Urbe Vindobonensi, qui claritate praestantissimus est librorum ipsius, « Summam doctrinae » dico, cui libro etiam « magni Catechismi » nomen est, feliciter composuit: quo libro, in omnes fere gentium sermones translato, secenties de

novo impresso, Ecclesiae catholicae causa mirabili plane modo est promota ac fulta... „.

Accedunt nomina Professorum.

Facultas theologica Universitatis Oenipontanae:

" . . . Capitulum cathedrale Augustanum in documento quodam officiali anno 1559 edito Beatum nostrum appellat " virum doctrina, vitae sanctitate et omni virtutum genere toti Germaniae notissimum „. Episcopus vero Commendone, postea Cardinalis, ad Cardinales Concilii Tridentini praesides scripsit, B. P. Canisium, " virum esse sanctitate et doctrina prorsus insignem necnon pontificiae auctoritatis defensorem egregium ". A Cardinali autem Hosio declaratus est esse vir, " non doctrina magis quam pietate insignis et si quisquam in istis controversiis (cum Protestantibus) cumprimis exercitatus „. Similiter episcopus Blarer, dioecesis Basileensis restaurator, in epistola ad ipsum Beatum nostrum missa scribit: " Insignis et pietatis et eruditionis laude ceteris anteire te iam ante tum librorum tuorum lectione, tum multorum doctorum virorum relatione compertum habuimus „. Item cardinalis Baronius in annalibus ecclesiasticis B. P. Canisium vocat " eruditissimum ac maxime virum pium„; necnon Apostoli verba de ipso usurpat: " Cuius laus est in evangelio per omnes ecclesias „. S. Franciscus Salesius tandem in litteris ad Beatum nostrum scriptis singularem eidem aestimationem et venerationem exhibet necnon declarat, " universis Christifidelibus tum factis tum dictis tum scriptis eundem innotuisse „. Quare mirum non apparet neque exaggeratum quod in annalibus Academiae Ingolstadiensis anni 1550 quo tempore eiusdem Academiae erat rector, vocatur: " fortis ecclesiae athleta, lumen inter doctores ecclesiae eius temporis, vir divini propemodum ingenii et eruditionis incomparabilis, theologus profundus et lectionis infinitae ». " ... Quibus libris catecheticis imprimis B. Canisius omnium in ea re maxime peritorum summam approbationem atque laudem tulit. Cardinalis Bellarminus v. g. declaravit se nunquam suum catechismum scripturum, sed illum pro studiosis a B. Petro compositum potius in idioma italicum translaturum fuisse, si eundem prius novisset. Similiter summa laude extollit catechismos B. Canisi nostrae aetatis episcopus Iulius Knecht Friburgensis in re catechetica apprime versatus atque peritus; admiratur scilicet summam Canisii nostri eruditionem atque scientiam necnon dexteritatem atque sapientiam, qua materiam foecundissimam quam aptissime disposuit atque quam brevissime simul et perlucide necnon ipsius scripturae vel ecclesiae verbis exhibuit ita, ut non aliquis homo, sed ipsa ecclesia per illos catechismos loqui videatur. Similiter alii viri periti atque vel ex ipsis Protestantibus plures de catechismi B. Canisii loquuntur... Denique mentionem et laudem etiam illud B. Canisii studium meretur, quo alios scriptores coaevos, defensores catholicae fidei, omni ope iuvit in libris edendis, qui causam catholicam iuvarent, defenderent, promoverent, ut v. g. Cardinalem Stanislaum Hosium, Episcopum Martinum Cremer, Carthusianum Laurentium Surium, Patres Ord. S. Franc. Andream de Vega et Antonium Cordubensem, Patres S. I. Turrianum et Torrensem et Hoffaeum, Alphonsum Pisanum, Staphylum aliosque plures... „.

Accedunt Professorum subscriptiones.

Facultas theologica Universitatis Graeciensis (Graz).

Seminarium Maius Episcopale Linciense.

Congregationes Marianae Virdobonenses (*75 Congregationes eidem petitioni subscribunt*).

Ex Helvetia:

RR. DD. Aloisius Maglione, *Archiep. tit. Caesariens., Nuntius Apostolicus.*

RR. DD. Georgius Schmid de Grüneck, *Episc. Curiensis, nomine Episcoporum Helvetiae:*

" .... Nos quoque pro annuo congressu Lucernae in unum coadunati Beatitudinem Vestram enixe rogamus ut B. Petrum Canisium Sanctum simul et Doctorem Ecclesiae constituere dignetur... Ipse septemdecim ultimos vitae annos in Helvetia nostra transegit. Plurimas ibi contiones habuit. Vitam Sanctorum nostrorum, egregias « Notas » in Evangelia dierum sacrorum, alia scripsit. Proceres tum ecclesiasticos tum civiles ad religionem tutandam atque pietatem urgendam sanctissimae vitae exemplis et sanctissimis consiliis excitavit atque adiuvit. Deus sepulcrum eius, quod est in civitate nostra Friburgensi, multis illustravit miraculis. Secundum Deum Petro Canisio referimus acceptum, quod magna Helvetiae pars fidem catholicam retinuit. Omittimus, quae ille alibi praestiterit. Unum addimus: Catechismus eius totam Ecclesiam nova luce perfudit; cuius libri utilitas numquam evanescet. Unde Leo XIII, Sanctitatis Vestrae praedecessor f. m., in Litteris datis Kalendis augusti anni 1897, viri sanctitatem et doctrinam iis laudibus extulit, quae videntur sufficere posse ad eum Doctorem Ecclesiae pronuntiandum. Sanctitas Vestra *Catechetas* singulari prosequitur cura. Det eis, quaesumus, Petrum Canisium ducem ac caelestem *Patronum* et — id quod efficacissimum erit — Doctorem Ecclesiae ".

Facultas theologica Universitatis Friburgensis:

" ... Ex his quae ad tale votum a nobis nutriendum ac proferendum contulerunt, primum est stabilis quam habet Facultas conscientia, se, docendo sacras disciplinas, ad hanc fidem catholicam conservandam et diffundendam voveri quam Beatus P. Canisius, pluribus in regionibus, in Helvetia per tria lustra et amplius, specialiter in terra Friburgensi propugnavit. Ea omnia quae Beatus P. Canisius, praedicando, scribendo, collegia pro iuventute instituendo, maxime orando et patiendo pro Ecclesia posuit, Deo benedicente, numquam interierunt, imo hodie per erectionem Catholicae Universitatis Friburgensis ita splendide florescunt et fructificant ut Beato viro tribui possint verba Apostoli: « Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit ».

" Cultus insuper quo populus Friburgensis apostolum suum Beatum P. Canisium veneratur, magistri et discipuli nostrae Facultatis participes habentur. Sepulcrum enim hujus admirabilis viri, Dei providentia, decus

est civitatis nostrae Friburgensis, et prope Universitatem positum, allicit nos ad Beatum P. Canisium precandum ut Veritatem in studio contemplatam, sicut ipse mediis suo tempore idoneis propugnavit, ita et nos, suffragii sui auxilio freti, saeculo nostro prudenter aptares possimus.

" Huius tutelae sibi conscia, Universitas Friburgensis, quae Patronum potissimum et aptissimum Beatum Albertum magnum sibi elegit, qui maxime in contemplatione omnis veritatis excelluit, et sub cuius nomine designari voluit, patrocinium etiam Beati P. Canisii adjunxit, cum in regione nostra per scripta apologetica, catechistica sicut et per praedicationem indefesse adlaboraverit.

" Hae sunt Beatissime Pater, quae Facultatem Theologicam Universitatis Friburgensis Beato viro P. Canisio intime coniungunt: hae sunt quasi funiculus triplex connectens optimo operario quem misit Pater caelestis hanc portionem vineae colere illos qui hodie, ex mandato eiusdem Patris, ibi vitam impendunt... „.

A. F. Claverie O. P., *Decanus Facultatis*.

Facultas theologica Lucernensis.

Collegium Friburgense:

" ...Les catholiques suisses ont toujours considéré et considéreront toujours ce saint religieux le B. Canisius comme un de leurs Pères dans la foi, comme un des apôtres les plus méritants de leur pays. Il n'est, en effet, aucune région de l'Helvétie qu'il n'ait encouragée à conserver la vraie foi que menaçaient tant de périls, lorsqu'il vint chez nous pour la servir par sa parole éloquente, par ses savants écrits et par les exemples de sa sainte vie.

" Entre tous les cantons suisses demeurés catholiques, celui de Fribourg, plus que les autres, a le devoir de se montrer reconnaissant envers le Bienheureux, car c'est au milieu des Fribourgeois qu' il a passé les dix-sept dernières années de sa laborieuse existence, là que sont conservées ses précieuses reliques, instrument providentiel de tant de faveurs spirituelles et temporelles. Aussi, de tous les points de ce pays, les fidèles, tournent aujourd'hui, plus que jamais, leurs égards vers le Siège apostolique, attendant, pleins d'un joyeux espoir, la parole bénie par laquelle Sa Sainteté peut ajouter de nouveaux fleurons à la couronne d'honneur que l'Eglise a tressée déjà à notre Bienheureux.

" Mais nul n'attend plus impatiemment cette parole que les professeurs et les étudiants du Collège Saint Michel, ce Collège qu'à fondé Canisius et qui fut, pour ainsi dire, « le fils de sa vieillesse », auquel il a voué tant de soins et de labeurs, dont il a béni les débuts et salué le développement par une mé- morable allocution, la dernière que les Fribourgeois entendirent de lui. Si cette œuvre la plus « Canisienne » peut être de toutes, a continué de prospérer après la mort de son fondateur, si, aux disciplines dont Canisius l'avait dotée dès les premiers jours, sont venues s'en ajouter d'autres, c'est à la faveur de sa protection constante et pour répondre à ses désirs. Ainsi, malgré les orages et les bouleversements de ces trois derniers siècles, malgré l'exil imposé aux confrères de Canisius par de douloureuses conjonctures, le Bienheureux peut voir

cultiver encore à l'ombre de son tombeau ces Humanités dont il comprit si bien la portée éducatrice et l'importance pour la religion elle-même, cette langue latine surtout qu'il aimait et parlait avec tant d'élégance, à ce point que son catéchisme fut parfois employé comme manuel classique de latin, langue à laquelle Sa Sainteté accordait récemment un si haut témoignage d'admiration et de sollicitude. Les études littéraires complètes, maintenues à leur place d'honneur dans nos deux gymnases, français et allemand, sont couronnées par l'enseignement de la philosophie selon la méthode de S. Thomas d'Aquin, « le premier sans contredit des Docteurs scolastiques », ainsi que se plaisait à l'appeler Canisius lui-même.

" Le Bienheurex, qui sut si bien comprendre les besoins de son temps et s'inspirer de la vérité, enseignée par St. Paul, que « la piété est utile à tout » Lui qu'on surnomma le « Docteur pratique » a beni aussi, nous en avons la con fiance, l'enseignement des sciences physiques et celui des sciences commerciales qui se sont incorporés du Collège fondé par lui. Les sermons prouvent à l'evidence que ces matières l'interessaient et qu'il en appréciait l'utilité an point de vue morale.... Dans le Collège de Canisius, la flamme de la piété, allumée par ses leçons et ses exemples, a été conservée et entretenue religieusement par se confrères et leurs successeurs, alimentée surtout par la bonne influence des trois Congrégations d'étudiants qui son dérivées de la Congregation primitive, établie dés son arrivée.... ».

Ex Polonia:

Em. Card. Alexander Kakowski, *Archiep. Varsaviensis:*

" . . . Sanctae memoriae Pius PP. X in litteris 2 augusti 1911 ad collegii Canisiani convictores Oenipontanos datis: " Canisius ", inquit, " ea in medium attulit, quae perpetuo prodessent universitati Christianorum vel ad cognitionem veritatis vel ad rectam dispositionem vitae ... Optime vero Canisius de Polonia meruit Catechismo suo. Is Cracoviae iam explicabatur, cum ipse a. 1558 Cracoviam advenit. A. 1570 Catechismus in linguam polonicam translatus est, brevi vero etiam in lotavicam. Divulgationis eius ratio optime perspicitur ex hoc, quod in Polonia editiones Catechismi Canisiani factae sunt ad minimum 45. Fuit etiam Catechismus ille pro fundamento et exemplo componendis aliis, e quibus menione dignus est Catechismus a S. Martyre Iosaphat Kuncewicz, Archiepiscopo Polocensi compositus pro catholicis–unitis, ad eos in Ecclesiae unitate conservandos et schismaticos convertendos . . . „.

RR. DD. Boleslaus Twardowski, *Archiep. Leopoliensis Latinor.*
RR. DD. Aug. Losinski, *Episc. Kielcensis.*
RR. DD. Anatalius Novak, *Episc. Premisliensis Latin.*
RR. DD. Carolus Ios. Fischer, *Episc. tit. Mallotan., Auxiliaris Premisliensis.*
RR. DD. Petrus Mankowski, *Episc. Camenecensis.*
RR. DD. Henricus Przezdziecki, *Episc. Podlachiensis.*

RR. DD. Ignatius Dubowski, *Episc. Luceorien. et Zytomirien.*
RR. DD. Michael Godlewski, *Episc. tit. Aegearum in Africa, Auxiliaris Luceorien. et Zytomirien.*
RR. DD. Marianus Leo Fulman, *Episc. Lublinensis.*
RR. DD. Adulphus Ios. Jelowicki, *Episc. tit. Lorymens., Auxiliaris Lublin.*
RR. DD. Sigismundus Lozinski, *Episc. Minscensis.*
RR. DD. Vincentius Tymieniecki, *Episc. Lodzensis.*
RR. DD. Anton. Iulianus Nowowieyski, *Episc. Plocensis.*
RR. DD. Marianus Ryx, *Episc. Sandomiriensis.*
RR. DD. Stanislaus Casimirus Zdzitowiecki, *Episc. Wladislav. seu Calisien.*
RR. DD. Adalbertus Stanis. Owczarek, *Episc. tit. Ascalon., Auxil. Wladislav.*
RR. DD. Vladislaus Krynicki, *Episc. tit. Achant., Auxil. Wladislav.*
RR. DD. Georgius Matulewicz, *Episc. Vilnensis.*
RR. DD. Casimirus Michalkiewicz, *Episc. tit. Thyatiren., Auxil. Vilnensis.*
RR. DD. Paulus Kubicki, *Episc. tit. Chanathen., Auxil. Sandomir.*
RR. DD. Stanislaus Gall, *Episc. tit. Halicarnass., Auxil. Varsav.*
RR. DD. Leo Walega, *Episc. Tarnoviensis.*
RR. DD. Eduardus Komar, *Episc. tit. Alindens., Auxil. Tarnov.*
RR. DD. Iacobus Klunder, *Epis. tit. Selymbriens., Auxil. Culmensis.*
RR. DD. Romualdus Jalbrzykowski, *Episc. tit. Cusarum, Auxil. Seinen.*
RR. DD. Augustus Hlond, *Administr. Ap. Silesiae Polon.*

Ex Cecho-Slovachia :

RR. DD. Franciscus Kordac, *Archiep. Pragen., nomine omnium Episcoporum Cechoslovachiae :*

"... Pragae fundator magni Collegii S. I. et Convictus pauperum studiosorum erat et versione sui Catechismi in linguam vernaculam, saeculo XVI vergente, fidei catholicae servatore vasit. Ideo episcopi czechoslovaci gratis animis recolentes Patres Societatis Iesu, a B. Canisio in Bohemia introductos, fidem catholicam contra haeresim protestantismi populo bohemo conservasse, rogant, ut duplices eorum preces a S. Congregatione benigne accipiantur... „.

Facultas theologica Universitatis Carolinae Pragae.

Ex Hungaria:

Em. Card. Ioannes Csernoch, *Archiep. Strigonien., voto etiam Episcoporum Hungariae:*

"... Catechismus eius iam anno 1562 a Nicolao Telegdi in linguam Hungaricam translatus abinde trigintani Hungaria obtinuit editiones Hungaricas et Latinas. Eximium opus Catechismi Canisiani rei catholicae in Hungaria plus profuit, quam cuncta alia scripta polemica...„.

Facultas theologica Budapestinensis:

"...Ut in tota vita sua et activitate tam operosa, etiam in operibus litterariis institutionem plebis Christianae ac defensionem a lue haeretica quo firmiorem prae oculis habuit, et Deo intime coniunctus semper mitis ac pius perfecit. Insigna eius opera: De Maria Vigine incomparabili et Dei Genitrice Sacro-Sancta, item eius Notae in Evangelicas lectiones, pariter editiones operum ss. Patrum, conciones eius ultra duo millia, ulterius Commentarius eius contra centuriato res Magdeburgenses non solum in tota Ecclesia nota sunt et in usu existunt, sed auctori beato Petro Canisio nomen mallei haereticorum et apostoli Germaniae comparaverunt. Summa Doctrinae Christianae vero seu Catechismus eius theolo gorum iudicio et publico usu comprobatus in Germania, Italia, Gallia, Polonia, Anglia, Hispania, Graecia et America Septemtrionali divulgatus, etiam in nostram linguam hungaricam iam anno 1562 traductus et fere innumeras editiones sortitus per tria saecula institutioni plebis nostrae catholicae inservivit.

Aloisius Wolkemberg, *Ss. Theologiae Doctor, Facultatis Theologicae h. t. Decanus et Praeses.*

Sequuntur nomina aliorum Lectorum Facultatis Theologicae.

Ex Gallia:

RR. DD. Carolus Ios. Eugenius Ruch, *Episc. Argentoratensis:*

"... In sola ego sisto Alsatia nostra. Medio fere saeculo XVI dioecesim Argentoratensem Erasmus a Limburg maximis in difficultatibus et angustiis, quas haeretici parabant, regebat. Canisius ei primum per litteras operam Societatis Iesu obtulit; deinde a. 1557 Tabernis in Alsatia eum adiit et ab eo per mensem dedetentus est; quo tempore in urbe concionatoris et aliquamdiu etiam parochi munus obiit, sacramenta administravit, pueros in schola docuit; qui, ut ipse scribit "eum sunt ut patrem complexi „. Postea Argentorati, rogatu capituli cathedralis in summo templo praeclaram contionem habuit magno cum gaudio catholicorum, qui a protestantibus pessime habebantur.

" Religiosas quoque virgines, a sacro proposito ne blanditiis nec minis avellerentur, semel atque iterum invisit, laudavit ad sanctitatem instituit. Transiit per Selestadium, Colmariam, Rubeacum, Alsatiae urbes, earumque incolas consolatus est atque in fide confirmavit.

" Aliquot post annis iterum Tabernis in Alsatia Erasmum Episcopum convenit, legatione secreta Pii V fungens, quae ad episcopatum Argento-

ratensem contra adversarios defendendum et post episcopi mortem in ecclesiae potestate con servandum spectabat. Prima etiam velut semina Canisius iecit collegii, quod Erasmo mortuo Ioannes a Manderscheid episcopus condidit, quodque Alsatiae immensa attulit commoda.

" Alsatiae denique nostrae in magnam cessit gloriam et utilitatem, quod vir ille sapientissimus exeunte anno 1557 in ineunte anno 1558 Tabernis in Alsatia scripsit catechismum illum, qui e tribus catechismis eius optimus et celeberrimus est; catechismum dico adolescentibus humaniorum litterarum studiosis destinatum. Disseminati sunt catechismi canisiani per totam provinciam atque diu iuventuti populoque universo docendo adhibiti.

" Ita persuasum nobis est, Canisio in acceptis referundum esse, quod veram fidem in hunc usque diem retinuimus... „.

Facultas theologica Argentinensis:

" ... Facultas theologica Universitatis Argentinensis, ad Sanctitatis Vestrae pedes prostrata, humillime supplicat. Ut Beatum Petrum Canisium non solum in Sanctorum numerum referre, sed etiam Ecclesiae Doctorem declarare dignetur.

" Ad haec petenda, immemorum laborum grata memoria movemur quos apostolicus ille vir ad fidem illustrandam, defendendam propagandamque toleravit, concionando, in universitatibus docendo, gymnasia creando, legationibus fungendo, maxime autem libros scribendo, qui ad sacram doctrinam explicandam, haereses confutandas, divinam Scripturam interpretandam, Sanctorum, praesertim B. Mariae Virginis, gloriam amplificandam, pietatem omni modo fovendam valde utiles fuerunt et nunc etiam sunt.

" Alsatiam nostram in maximo fidei discrimine versatam Canisius peculiari caritate complexus est. Episcopo eiusque Capitulo tum per litteras tum viva voce consilia saluberrima praebuit; Collegio Societatis Iesu Molstremii condendo viam paravit; complures provinciae nostrae peragravit urbes, quarum cives in fidei constantia confirmavit: Argentorati, in summo templo, egregiam concio- nem habuit; Tabernis, quae episcopi sedes erat, aliquamdiu parochi vices supplevit, pueros in scholis docuit, atque ibidem etiam praeclarum illum catechismum minorem conscripsit. Neque dubium est quin catechismo canisiano, per tria paene saecula fidei explicandae adhibito, religio catholica apud nos conservata sit.

" Quare, si Sanctitas Vestra Petro Chrysologo Doctori antiquitatis christianae et Petro Damiani Doctori medii aevi adiunget Petrum Canisium Doctorem re centium temporum, et populum Alsaticum gaudio magno afficiet, et magistris discipulisque nostris ducem et patronum constituet, sub quo alacriter pro Ecclesia Christi decertabunt... „.

Victor Martin, *Decanus*.

Institutum Catholicum Parisiense:

" ... Sicut saepe olim corpus Sorbonicum apud Romanos Pontifices cum in re doctrinali tum in causis piis intercedebat, ita quae in eius locum successit eique continuatur, Catholica Universitas Parisiensis a Sanctitate

Vestra suppliciter petit, ut *Beatum Petrum Canisium* non solum in Sanctorum numerum referre sed etiam nomine *Doctoris* Ecclesiae ornare dignetur. Dignus omnino esse videtur tali honore Canisius. Quem Cardinalis Baro nius in « Annalibus Ecclesiasticis » vocavit « eruditissimum ac maxime pium virum », et Augustinus Theiner, novissimus eorundem « Annalium » continuator, appellavit « de re catholica optime meritum, sanctimonia et doctrina clarissimum ».

" Quod saeculo XVI magna Europae pars erroribus protestantismi non est infecta, quod etiam multi ad fidem catholicam, a qua misere defecerant, reducti sunt, id magnam partem referendum est Petro Canisio, qui per 50 et plures an ı os non cessavit contionando, disputando, legationes sacras obeundo, principibus, episcopis, nuntiis apostolicis, ipsis etiam Summis Pontificibus consilia saluberrima subministrando se totum saluti Ecclesiae impendere. Qui bene quoque meruit de re scholastica. Nam in universitatibus Ingolstadiensi et Vindobonensi egregie docuit; iisdem reformandis studuit; universitatis Dilinganae plenam curam nomine Societatis Iesu suscepit; complura condidit gymnasia, adolescentum contubernia, sodalitates marianas; collegio Germanico Urbis Romae eximium se praebuit fautorem. Cum porro videret haeresim nulla re magis propagari quam libris libellisque pravis longe lateque disseminatis, catholicos, quantum poterat, ad libros bonos scribendos, excudendos, emendos, distribuendos exhortabatur atque adiuvabat. Ipse quoque libros fere 30 eosque temporum suorum necessitatibus prudentissime accommodatos edidit, quibus disciplinam patristicam, dogmaticam, exegeticam, hagiologicam, asceticam, illustrabat. In his eminent Catechismus triplex, puritate doctrinae, rerum copia, sermonis perspi cuitate ac nitore insignis, theologorum iudicio et communi Ecclesiae usu probatissimus. Unde Cardinalis Baronius, quem iam diximus, non dubitavit in Canisium aliqua ratione referre Paulinum illud: « Cuius laus est in Evangelio per omnes ecclesias ». (*2 Cor.* 8, 18).

" Haec Petri Canisii laus est etiam in Ecclesia nostra Gallicana: Catechismus eius, paullo post quam in lucem prodierat, gallice redditus atque aliquanto post etiam in linguam Britanniae minoris (Bretagne) translatus est. Eum Sorbona nostra semel atque iterum approbavit, typographi parisienses fere vicies excuderunt; etiam in 18 aliis Galliae urbibus typis mandatus est. Grandes quoque illi « Commentarii de Verbi Dei corruptelis », quibus Canisius iussu S. Pii V centurias Magdeburgenses refutabat, primo iam anno postquam in Germania coniunctim vulgati erant, et Parisiis et Lugduni denuo editi sunt. Martyrologium Canisii germanicum doctissimus Martyrologii nostri gallicani editor, Andreas du Saussay episcopus Tullensis, laudavit. Canisianas « Notas » in Evangelia dierum sacrorum E. Boucher et C. Renoux, qui apud nos historiam eloquentiae sacrae scripserunt, laudibus extulerunt. Epistolae S. Hieronymi a Canisio in usum scholarum selectae atque illustratae minimum quindecies in Gallia prelum subierunt. Haud igitur mirum est, Ludovicum XIV a. 1648 ab Innocentio X Pontifice petiisse, ut Canisium albo Beatorum inscriberet.

" Neque unquam apud nos praeclari huius viri memoria evanuit. Argumento sunt amplissima verba, quibus Ludovicus Veuillot noster in libris

« *Le Parfum de Rome* » et « *Les Pélerinages de Suisse* » Canisium laudavit; argumento item editio Mariologiae canisianae a. 1866 Parisiis a Iacobo Bourassée Metropolitanae ecclesiae Turonensis canonico in « *Summa aurea de laudibus Beatissimae Virginis Mariae* » facta, et « *Operis catechistici* » versio ab A. C. Peltier primum a. 1856, quartum a. 1863 Parisiis edita. Accedunt Canisii biographiae a Séguin, Daurignac, Alet, Michel, Thermes apud nos in lucem editae.

" Iterum itaque rogamus, ut sicut Pius IX Hilarium, gloriosum illum Arianismi triumphatorem, ac Franciscum Salesium, invictum Calvinismi debellatorem, Doctores Ecclesiae declaravit, ita Pius XI Petrum Canisium, fortissimum Lutheranismi oppugnatorem, iisdem Ecclesiae Doctoribus annumeret. Ita Sanctitas Vestra fidelibus omnibus ad certamina adversus fidei hostes subeunda egregium ducem constituet ac patronum... „.

† Alfredus [Baudrillart], *Ep. Himeriensis, Rector.*

Sequuntur nomina Decanorum trium Facultatum.

Foedus pro Sanctitate Sacerdotali (Strasbourg):

" ... [Canisius] divinitus electus et directus fuisse videtur contra grassantem Protestantium haeresim inter omnes catholicae fidei defensores, non verbo solum, sed scriptis operibus, maxime vero magno illo Catechismo qui et catechistis, et praedicatoribus, imo et theologis doctrinae solidae thesaurus fuit. Sacerdotibus autem iisque maxime qui sacro Verbi Dei ministerio addicti sunt, idem Beatus exemplar est pulcherrimum et sollicitudinis in acquirenda et tradenda vera Doctrina, et zeli strenui in adhibendis omnibus ad id aptis mediis, et studii indefessi ad perfecte vivendum iuxta Doctrinam, et admirabilis diligentiae in obtinenda et retinenda animi cum Deo familiari coniunctione, non solum in litando, in officio recitando, in orando plures etiam per horas diu noctuque, sed in laborando, in iter agendo, in conversando cum hominibus quibuscumque, rudibus et peritis, humilibus et conspicuis, laicis et clericis ... „.

J. A. Reimsbach S. I., *Praes. Gen. Foederis pro Sanct. Sacerd.*

Ex Belgio:

RR. DD. Martinus Hubertus Rutten, *Episc. Leodiensis:*

" ... Ad hasce preces me movent non tantum praeclara erga Ecclesiam et Fidem catholicam B. Canisii merita tum scriptis orthodoxa atque solida doctrina refertis, tum praedicationibus et disputationibus cum haereticis sui temporis, sed praesertim quae in nostris regionibus ad conservandam fidem suo labore contulit. Praedicavit enim Dei verbum Leodii anno 1546 tum fidelibus, tum praesertim clero; collegitque in nostra dioecesi eleemosynas pro defensione verae religionis adversus apostatam Hermannum von Wied. Accedit quod B. Canisius inter praecipuos promotores numeratur Collegii Germanici-Hungarici ubi olim complures meae dioecesis presbyteri philosophica atque theologica studia perfecerunt... „.

RR. DD. Thomas Lud. Heylen, *Episc. Namurcensis*;

"... Doctissimo illi Viro — alteri post Bonifacium Occidentis Apostolo — magna ex parte tribuenda est conservatio et propagatio Fidei in nostris regionibus et eius laus, ut voce Apostoli Pauli utar, in Evangelio est per omnes Belgii ecclesias. Ab eo enim, dum Sacram Theologiam in universitatibus doceret, plurimi sacerdotes et fideles verae religionis elementa didicerunt, sed imprimis Catechismum edidit, purissima doctrina fulgentem, qui variis in idiomatibus translatus magnam diffusionem apud Nos obtinuit et redigendis pluribus ex actualibus Catechismis inserviit... ".

Facultas theologica Universitatis Catholicae Lovaniensis:

"...Ad pedes Sanctitatis Tuae provoluti, humiliter ac fidenter rogamus, ut per Eam nobis liceat intimum expromere desiderium quo tenemur de Beato Petro Canisio in Sanctorum album mox referendo, simulque si Sanctitati Tuae, quod vehementer optamus, visum fuerit, Doctoribus Ecclesiae solemni huius declaratione adnumerando.

"Quod votum cum fovemus et Summo reipublicae christianae Moderatori exponere non veremur, nulla alia ratione movemur vel consideratione quam spe maiorem quemdam splendorem et reverentiam per orbem universum Religioni atque Ecclesiae conciliandi. Quamquam enim Canisius inter Universitatis nostrae alumnos quondam computatus, exindeque quibusdam eiusdem magistris familiariter usus fuit, atque idcirco honoribus ei concessis laetamur et concedendis laetaturi sumus, absit tamen ut huiusmodi peculiari ac quasi privato commodo in re tam gravi sollicitemur unquam aut permoveamur.

"Sed dum mente recolimus praeclari illius viri vitam, actus meritaque omnia, facere non possumus quin persuasum habeamus, nihil ipsi deesse eorum quae in Sanctis Dei ad titulum Doctoris requiri consueverunt, imprimisque eam in illo effulgere doctrinae copiam et amplitudinem quae eidem appellationi apprime congruant. Non modo enim Canisius theologiam primum in Universitate Ingolstadiensi, dein in Vindobonensi, magna cum laude docuit; neque solum de traditione catholica bene meritus est in edendis *Operibus* S. Cyrilli Alexandrini, *Sermonibus* S. Leonis M. *Epistolis* S. Hieronymi, verum ipse ad fidem orthodoxam diffundendam atque adversus ingruentes protestantismi errores defendendam triginta circiter inaequalis molis voluminibus egregiam contulit operam. Inter illos libros, qui ad omnes pertinent disciplinarum sacrarum partes ad theologiam scilicet dogmaticam, exegeticam, apologeticam, homiliticam, asceticam, sane eminet, ut omnes norunt, fama atque mira diffusione *Cathechismus*, cuius, triplici forma seu amplitudine pro diversa auditorum aetate ac capacitate concinnati innumerae prodierunt editiones, nec pauciores quam ducentae auctore adhuc superstite, et qui, in viginti fere linguas translatus, per duo vel tria saecula ubique usui fuit in erudienda plebe christiana, et ita quidem ut hac ipsa nostra aetate nullus exstet eiusdem nominis ac muneris liber qui non ad illius normam exemplarque conscriptus fuerit.

"Nil mirirum igitur quod Canisius non minus doctrina quam sanctitate

iam inter aequales tantam nactus fuerit celebritatem ut passim alter sui saeculi Augustinus audiret, non mirum, eum dignum habitum fuisse qui catholicae veritatis partes in *Colloquio*, quod vocant, *Wormatiensi* sustineret et qui ad praedicandum Dei verbum novosque haereticos confutandos in diversas dissitissimasque urbes vocaretur. Magni eum fecerunt, ut alios plurimos taceamus, et S. Franciscus Salesius, qui epistolarum eius commercio delectabatur, et S. Carolus Borromaeus, qui illius *Catechismum* in sua dioecesi adhiberi iussit. Sed, quod maius est, carus fuit Summis Pontificibus Pio IV, Pio V, Gregorio XIII, qui et eius consiliis uti voluerunt et ei legationes ad principes et ad episcopos de negotiis gravissimis demandarunt. Nec minore in pretio ab his habitus est qui nostro et superiore saeculo Ecclesiae gubernacula tenuerunt. Pius IX, in *Brevi Beatificationis* de *Catechismo* affirmat, « ad erudiendos in catholica veritate populos in eaque confirmandos nihil eo libello accommodatius » esse. Leo XIII, in *Litteris encyclicis* a. 1897 ad episcopos Austriae, Germaniae et Helvetiae datis, Canisii non sanctitatem tantum, sed doctrinam etiam tantis extollit laudibus quantae vix eum decere videntur cui Doctoris appellatio nondum solemniter decreta...

" Itaque quum constet omnes Beati Canisii labores, conamina eius omnia, sive in docendo et praedicando, sive in variis legationibus aut muneribus perfungendis, sive praesertim in libris conscribendis, contra audacem Lutheri et sequacium rebellionem directa fuisse, iure nobis inferre videmur, Deum, quemadmodum saeculis anteactis diversis haeresibus alios opposuit Doctores: arianismo, Athanasium, Basilium, Gregorium Nazianzenum; nestorianismo, Cyrillum Alexandrinum; manichaeismo, donatismo et pelagianismo, Augustinum; erroribus Ioviniani et Helvidii, Hieronymum; ita enascenti et per Germaniam grassanti protestantismo Canisium nostrum opposuisse. Qui nisi eadem vi polluerit eademque appellatione dignus sit qua illi priores, concludendum erit, quod absit, contra letiferam illam pestem, iam tunc late serpentem et diuturna multiplicique propagine tantopere obfuturam, Christum Ecclesiae suae minus adfuisse, neque illud auxilium suppeditavisse, non eos dedisse defensores, quibus tempus egeret.

" Falsae isti opinioni, ne dicamus blasphemiae, via praecludetur si Beatus Canisius quoque fuerit a Sancta Sede Doctor declaratus. Et cum hic *Catechismo* praeprimis apud plerosque inclaruerit, praedicandus erit fortuna et causae dignitate simillimus S. Cyrillo Hierosolymitano, qui et ipse praecipue propter *catecheses* Doctoris nomen et meruit et obtinuit.

" Illa autem, quam optamus et supplices petimus, Romani Pontificis declaratio idcirco etiam opportunissima apparet quod nata sit munus quum apologetarum, tum praesertim catechistarum, qui in acri horum temporum dimicatione tam necessarii sunt, ideoque tam sedulo confortandi, splendore quod et laude ampliore cohonestare; unde id speramus consecuturum, ut et veritatis religiosae praeconum ac propugnatorum numerus augeatur, et iis ad officium constanter graveque adimplendum addatur animus... „.

A. Monin, *S. Fac. Theol. p. t. a Secret.*
P. Ladeuze, *Rect. Univ.*
J. Bittremieux, *S. Fac. Theol. Dec. p. t.*

Ex aliis regionibus Europae:

Facultas theologica Salmanticensis (Hispania):

"... Audimus ad Sanctitatem Vestram non ex Germania tantum, sed etiam ex multis aliis religionibus perferri libellos supplices quibus Beatitudo Vestra rogatur, ut Beatum Petrum Canisium, quem brevi in numerum Sanctorum relatum iri speramus, Doctorem Ecclesiae declarare dignetur. Inter hos supplicantes cupimus nos quoque Hispani comperiri. Etenim, ut nihil dicamus de rebus a Canisio pro Germania et multis aliis Ecclesiae provinciis praeclare gestis, optime ille meritus est etiam de Hispanis. .... Gaspar Cardillus de Villalpando, canonicus segobiensis, cum Tridenti, ubi Concilio oecumenico theologus intererat, catechismum in usum popularium componere coepisset, conspecto cathechismo Canisii, statim labore illo cessavit; desperabat enim, ut ipse ait, se quidquam praestare posse, quod catechismum canisianum aequaret; propterea eumdem catechismum hispanice reddidit et a. 1576 Compluti edidit. Barcinone quoque et in ipsa civitate nostra Salmanticensi egregius hic liber typis exscriptus est. Quem ab Hispanis magni aestimari P. Ioannes de Polanco Societatis Iesu secretarius a. 1563 testatus est. Hanc aestimationem posteris quoque saeculis apud nos aliqua saltem ratione viguisse ostendit magnifica catechismi canisiani editio linguis latina, hispanica, graeca anno 1798 a Iosepho Goyer y Muniain facta.

" Praeterea Canisius theologos nostros valde colebat atque fovebat. Cum Andreae de Vega, Ordinis Minorum, theologi Concilii Tridentini, insigne opus de iustificatione in Italia mendose editum esse comperisset, effecit, ut liber ille Coloniae valde pulchre et emendate in lucem prodiret. Ad Alphonsi Pisani editionem actorum Concilii Nicaeni, ad Francisci Torres sive Turriani opus « De hierarchicis ordinationibus », ad Hieronymi Torres sive Torrensis « Confessionem Augustinianam », ad Petri Ribadeneirae vitam S. Ignatii Loyolae operam contulit. Canisio iuvante, Gaspari Villalpandi liber de indictione Concilii Tridentini et Antonii Cordubensis O. Min. opus de indulgentiis Ingolstadii prelum subierunt.

" Si Sanctitas Vestra Canisium Doctorem Ecclesiae constituet, catechetis nostris eximium exemplum, quod imitentur, proponet; scriptoribus nostris ecclesiasticis patrono, cuius auxilium cum fiducia implorent, adiunget; Ecclesiam universam splendore novi sideris illuminabit et laetificabit... ".

Dr. Zephyrinus Andrez Calvo, *Vicarius Capitularis S. V.*, *Cancellarius Seminarii Pontificii.*

Facultas theologica Luxemburgensis:

"... Nos Luxemburgenses singulari quadam ratione Petro Canisio obstringimur. Quod enim saeculo XVI septemtrionalibus Germaniae inferioris sive Belgii provinciis a fide catholica deficientibus, meridionales, et in his terra nostra, in eadem fide perstiterunt, id magnam partem tribuendum est operae, quam Canisius legationes obeundo, contionando, libros litterasque scribendo praestitit. Catechismum eius iam a. 1557 Philippus II Hispaniae rex, cuius imperio tunc subiecti eramus, theologorum

lovaniensium suasu iussit in scholis nostris, seclusis omnibus aliis catechismis, doctrinae christianae tradendae adhiberi. Quem librum saeculo XVII popularis noster Philippus de Scouville S. I., vir vere apostolicus et gloria terrae nostrae, commentariis copiosis atque egregiis illustravit... „.

† Petrus Nommesch, *Episcopus Luxemburg.*

Accedunt Professorum subscriptiones.

RR. DD. Ioannes Olavus Smit, *Episc. tit. Paraliten., Vicarius Apost. Norvegien. et Spitzbergen.*

RR. DD. Ioannes Ericus Müller, *Episc. tit. Loriens., Vicarius Apost. Sueciae.*

RR. DD. Ioannes M. Buckx, *Episc. tit. Dolichen., Vicarius Apost. Finlandiae.*

Ex utraque America:

RR. DD. Ioannes Aragone, *Archiep. Montisvidei (Uraguay).*
RR. DD. Augustinus Dowling, *Archiep. S. Pauli de Mimnesota.*
RR. DD. Ioannes Becker, *Archiep. Portalegren. in Brasilia.*
RR. DD. Henricus Althoff, *Episcop. Bellevillen.*
RR. DD. Ioannes Henricus Tihen, *Episcop. Denverien.*
RR. DD. Guillelmus Turner, *Episcop. Buffalensis.*
R. D. Aurelius Stehle O. S. B., *Archiabbas S. Vincentii in Pensilv.*
Facultas theologica Montis Angelorum O. S. B. — Oregon.
Universitas Creightoniana S. I. — Nebraska.
Seminarium S. Pauli de Mimnesota.
Schola S. Cordis O. M. I. - Castroville - Texas.
Collegium Maximum S. Cordis Woodstokiense S. I.
Studium Redemptoristarum C. SS. R. Prov. Baltimorensis.
Collegium ac Seminarium Immac. Concept. apud Sceton-Hall Novarcen.
Monasterium Passionistarum apud Washington.
Conventus S. Bonaventurae apud Washington.
Monasterium et Studium theologicum O. F. M. S. Louis.
Collegium Pontificium Iosephinum O. S. B. - Columbia - Ohio.
Universitas-Seminarium S. Mariae Baltimoren.
Seminarium S. Franc. Salesii - Francis.
Seminarium Immac. Conceptionis C. SS. R., Wisc.
Monasterium (Abbatia) O. S. B. Belmont, North Carolina.

Monasterium S. Michaelis C. P., Novarcen.
Monasterium (Abbatia) S. Leonis O. S. B., Florida.
Seminarium et Facultas theol. S. Bonaventurae O. F. M. apud Allegany.
Conventus et Studium philosoph. ac theolog. O. F. M. ad S. Barbaram in Calif.
Schola Canisiana Buffalensis.

Prospectus numericus
Litterarum Postulatoriarum (1).

A) *Litteras dederunt:*

Cardinales	11
Archiepiscopi	13
Episcopi	73
Capitula cathedralia	3
Universitates Catholicae et Facultates theologicae	27
Superiores Ordinum Religiosorum	8
Seminaria et Collegia	21
Communitates Religiosae	16
Associationes variae (2)	17
Universi	189

B) *Litterae venerunt:*

Ex Italia	32
Ex Germania	43
Ex Neerlandia	32
Ex Austria (2)	5
Ex Helvetia	5
Ex Polonia	27
Ex Cecho-Slovachia	2
Ex Hungaria	2
Ex Gallia	5
Ex Belgio	3
Ex aliis regionibus Europae	6
Ex utraque America	27
Universae	189

(1) Quae a pluribus simul Episcopis, inscriptis singulorum nominibus, missae sunt, pro totidem separatis epistolis computantur.

(2) Congregationes Marianae Vindobonenses (v. supra, pag. 376) ad modum unius computantur.

Biographiae S. Petri Canisii

per terras, in quibus primum editae sunt, dispositae (1).

Ponuntur ii tantum libri, qui maioris momenti esse videntur. Praeter hos vulgati sunt minores libelli plurimi, quos singillatim recensere hoc loco non vacat. — Omittuntur plerumque editiones novae et versiones, sive in eadem terra, atque editio princeps, factae sunt, sive in alia.

Germania.

Matthaeus Raderus S. I., De Vita Petri Canisii, Monachii, 1614. [Antverpiae, 1615; Augustae Vindelicorum, 1834].

Franciscus Sacchinus S. I., De Vita et Rebus gestis P. Petri Canisii, Ingolsadii, 1616 [germanice: Dilingen, 1621].

Petrus Python S. I., Vita R. P. Petri Canisii, Monachii, 1710.

Florian Riess S. I., Der selige Petrus Canisius, Freiburg im Breisgau 1865.

Eduard Marcour, Der Selige Petrus Canisius, Freiburg im Breisgau, 1881.

Otto Braunsberger S. I., Enstehung und erste Entwicklung der Katechismen des seligen Petrus Canisius [Ergänzungsheft 57 zu den « Stimmen aus Maria-Laach »], Freiburg im Breisgau, 1893.

Otto Braunsberger S. I., Petrus Canisius. Ein Lebensbild, Freiburg im Breisgau, 1917 [2. u. 3 Auflage 1921].

Joh. Metzler S. I., Der selige Petrus Canisius. Ein kurzes Lebensbild. M. Gladbach, 1921 [editio nova 1925].

Joh. Metzler S. I., Petrus Canisius, Deutschlands zweiter Apostel. Ein Charakterbild. Mit einem Titelbild, einer Karte und 120 Abbildungen, M. Gladbach, 1925.

Joh. Metzler S. I., Petrus Canisius als Erneuerer des Schul-und Erziehungswesens, herausgeg. von der Zentralstelle der kath. Schulorganisation Deutschlands, Düsseldorf, 1925.

Prof. Joseph Kuckhoff, Petrus Canisius. Bilder aus dem Leben eines deutschen Heiligen, Düsseldorf, 1925.

Austria.

Alois Kroess S. I., Der selige Petrus Canisius in Oesterreich, Wien, 1898.

Alois Bogsrucker S. I., Das Leben des hl. Petrus Canisius aus der Ges. Jesu (1521-1597). Ein Canisius Buch für das Volk. Verein « Volksbildung » Wien, 1925.

(1) Ex " *Gregorianum* „ (vol. VII, 1926, pp. 248-250), auctore P. Ottone Braunsberger S. I.; pauca tamen addidimus, quae collectori, diligentissimo ei quidem et peritissimo, sed iam aegroto et morti proximo († 27 mart. 1926), forte non innotuerant.

Otto Leisner S. I., « Peter Kanis Werden » (Berufsgeschichte des hl. Petrus Canisius bes. zur Massenverbreitung unter der studierenden Jugend geeignet), Wien, 1925.

Hollandia.

Leven van den gelukzaligen Petrus Canisius door P. E. Séguin S. I., bijgewerkt door H. J. Allard S. I., Nijmegen, 1898.
Leerschool van den H. Petrus Canisius [est florilegium doctrinarum spiritualium ex Sancti scriptis per Collegium S. I. Traiectense ad Mosam collectum, liber magnifice ornatus], Maastricht, 1925.

Helvetia.

Hel. Raemy de Bertigny, Le Bienheureux Pierre Canisius, Fribourg en Suisse, 1865 [ed. nova 1897].
Canisius Bovet O. Min. Conv., Vie et Apostolat du Bienheureux Pierre Canisius, Fribourg, 1881.
Otto Pfuelf S. I., Der selige Petrus Canisius, Einsiedeln, 1897.
J. Genoud, Le Bienheureux Pierre Canisius, Fribourg, 1915.
V. Schwaller, Kanisius, Gedenk- und Gebetbuchlein, Freiburg (Schweiz), 1921.
E. Morand, Saint Pierre Canisius, Fribourg (Suisse), 1925.
J. Kinzig, Petrus Canisius, Einsielden, 1925.

Italia.

Giac. Fuligatti S. I., Vita del P. Pietro Canisio, Roma, 1649.
Longaro Degli Oddi S. I., Vita del Venerabile Servo di Dio il Padre Pietro Canisio, Napoli, 1755.
Ios. Iuvencius S. I., De Vita Beati Petri Canisii, Romae, 1864.
Giuseppe Boero S. I., Vita del Beato Pietro Canisio, Roma, 1864.
Gius. M. De Giovanni S. I., S. Pietro Canisio, Isola del Liri, 1925.
F. M. D'Aria S. I., Compendio della Vita di S. Pietro Canisio, Isola del Liri, 1925.
Pietro Colombara S. I., Il Martello degli eretici ossia S. Pietro Canisio S. I. Dottore della Chiesa, Modena, 1925.

Gallia.

[Jean Dorigny S. I.] La Vie du Révérend Père Pierre Canisius, Paris, 1707, et saepius.
Eug. Séguin S. I., Vie du Bienheureux Pierre Canisius, Paris, 1864.
V. Alet S. I., Le Bienheureux Canisius, Paris, 1865.

L. Michel S. I., Vie du Bienheureux Pierre Canisius, illustrée de nombreuses gravures, Société de Saint-Augustin, 1897.

L. Cristiani, Le Bienheureux Pierre Canisius, Paris, 1925 [in serie « Les Saints »].

Belgium.

Franc. De Smidt S. I., Leven van R. P. Petrus Canisius, Antwerpen, 1652.

J. Hillegeer S. I., Leven van den gelukzaligen Petrus Canisius, Gent, 1865.

Hispania.

Juan Eusebio Nieremberg S. I., Vida divina del Venerabile Padre Pedro Canisio, Madrid, 1633.

Ramon Garcia S. I., Vida del Beato Pedro Canisio, Madrid, 1865.

R. Allendesalazar S. I., San Pedro Canisio de la C. de J., Confesor y Doctor de la Iglesia Universal, Sevilla, 1925.

Vitae a P. Ioanne Metzler S. I. germanice scriptae versionem hispanicam curavit I. Bujanda S. I., Madrid, 1925.

Polonia.

Ivo Czezowski S. I., Krótki Rys Zycia Blogoslawionego Piotra Kanizego Kaplana Towarzystwa Jezusowego, Lwów, 1865.

Hungaria.

Vitarum a PP. Francisco Hattler S. I. et Ottone Braunsberger S. I. scriptarum versiones hungaricae, Kalocsa, 1897 et (curante P. Iulio Hoerl S. I.) Budapest, 1925.

Hibernia.

Struan Robertson S. I., St. Peter Canisius, Dublin, 1925.

Anglia.

A. Anzani, Blessed Peter Canisius, London, sine anno [1904-1906 ?].

Thomas Crompton S. I., St. Peter Canisius, London, 1925.

Dania.

A. Menzinger S. I., Den Salige Petrus Canisius, sine loco, 1918 [iterum 1925].

Status Foederati Americae Septemtrionalis.

Fr. S. Betten S. I., Blessed Peter Canisius, St. Louis, 1923.

Argentina.

CARLOS LEONHARDT S. I., San Pedro Canisio. Tres conferencias traducidas, Buenos Aires, 1925.

Indiae Orientales.

AL. AMBRUZZI S. I., St. Peter Canisius S. J. His Work and Sanctity, Mangalore [1925].

DOMINIC BERENGUER S. I., Saint Peter Canisius of the Society of Jesus, Confessor and Doctor of the Church, Bombay, 1925.

II.

DE SOCIETATIS OPERIBUS IN CANADA

(1625-1925).

Die 21 iunii 1925, quo die Romae Martyres Canadenses " Beati „ a Sancta Sede evehebantur, eodem in urbe Québec magno apparatu tercentesimus annus, ex quo primo Nostri Patres ad terram Canadensem appulerant, commemorabatur. Hi duo eventus eo erant iucundiores, quod ex tribus Patribus, qui die 19 iunii 1625 huc advenerant, unus fuerat novorum Beatorum praeses, id est Ioannes de Brébeuf.

Civiles et religiosae potestates provinciae Quebecensis et aliarum novem Canadae Dominii provinciarum, omnesque societatis ordines, conspicua et alacri voluntate, se consociarunt ad Iesuitarum adventum splendidis sollemnibus illustrandum, operaque ab eis in Canada confecta dilaudanda.

Quae quidem Societatis opera in Sancti Laurentii fluminis regionibus summe profuisse ad futuram huius gentis civilem institutionem omnes ultro et grato animo confessi sunt.

Missionis initia.

Et re quidem vera, iam anno 1611, Nostri Missionem iis in Oceani oris, quae nunc Acadia nominantur, instruxerant, mox tamen reliquerant. Denuo anno 1625 a Fratribus Minoribus Recollectis in regionem quae " Nova Gallia „ dicebatur vocati sumus. Colonia ab Anglis capta, anno scilicet 1629, omnes fere incolae in Galliam sunt advecti, pace demum composita, revertentes in Canadam, solos nostros sacerdotes secum comites habuerunt ; ideoque Nostri 30 circiter annis soli remanentes, totam vitam religiosam in Nova Gallia generarunt, Missiones apud Indos instituerunt, regularisque ecclesiae et hierarchiae constitutionem paraverunt. Iam anno 1635, Quebeci Collegium erexerant ad filios familias litteris informandos clerique vocationes excitandas. Anno 1639, Ursulinas Sorores quae puellas edocerent, aliasque Sorores ad infirmorum curam suscipiendam introduxerunt. Hae Religiosae nostris quoque diebus, sine ulla unquam intermissione,

suum opus prosequuntur, immo mirum in modum extendunt; siquidem ab eis originem trahunt diversae Sororum congregationes, quae, maxima cum omnium laude et exemplo, intra limites primum provinciae Quebecensis, inde vero per totum Canadense Dominium, et iam ad Missiones usque Asiae et Africae, in scholis et academiis, in nosocomiis et asylis eximiam operam navant.

Sapientissime Superiores Missionis se maxime ad aborigenas convertendos collaturos iudicaverunt, si in Nova Gallia populum christianis principiis et moribus alte imbutum constituere possent. Contra erant " Pellium Mercatores „ qui ullam permanentem stationem instituere negabant. Sed, quae fuit Patrum gratia apud Galliae reges, feliciter obtinuerunt ut, sicut ipsis videbatur, ita res perficerentur. Praeterea fecerunt ut, perditis hominibus in Europam remissis, coloniam non nisi religione catholici moribusque honesti viri ingrederentur. Puellae vero, quas iuvenibus militia perfunctis matrimonio iungendas arcesserant, pupillae generatim erant in Religiosarum domibus educatae, aut personae optimo proprii parochi testimonio commendatae. Hinc factum est ut nunquam in Novam Galliam protestantes penetrarent: moresque publici ea semper puritate vigerent, ut familiae Gallo-Canadenses mira fecunditate (1) nostris etiam diebus, Deo favente, gaudeant. Intervallo 50 annorum vix ullum illegitimum invenisses infantem; si litteris credas tunc temporis publicatis, populi pietas christianos Ecclesiae primaevae mentem revocabat. Coloniae Gubernatores, qui ex Patrum commendatione eligi solebant, venditionem potionum inebriantium, blasphemias, flagitia decretis et legibus prohibebant. Unde invaluerat dictum: Tutissimam ex Canada ad caelum esse viam. Hanc parabant eximiae sanctitatis viri quos Deus plurimis gratiae donis ac praecipue oratione ditatos, mittere solebat.

Animarum studium, quod scriptores nonnulli ut immoderatum taxaverunt, iam hodie omnes fatentur maxime profuisse " miraculo, ut dicunt, Canadensi, „ populi scilicet sua Fide conspicui et optima sanitate morali gaudentis, qui trium saeculorum intervallo, nec impetu crudelissimorum barbarorum, nec fere continuo centum annorum bello, nec protestantica dominatione non solum a religione non defecit, sed in ea integer, sibi

(1) E 10.000 colonorum, quos Gallia in Canadam misit, hodie fere 4.000.000 posterorum numerantur.

constans, paternas traditiones aemulatus est. Itaque nil mirum quod haec natio gratissimi sit animi erga Societatem, cuius opera retinuit et sanguinis et religionis unitatem, animum tenacem, nec suae originis immemorem. Anno 1659, Ven. Servus Dei Franciscus de Montmorency-Laval, iam alumnus noster, a Nostris ut primus Episcopus Novae Galliae propositus, Canadensem ecclesiam gubernandam suscepit, Seminariique auctor fuit. Quamquam exinde Sulpiciani, PP. Franciscani Recollecti, Sacerdotes Seminarii Missionum exterarum in regione insudabant, a Nostris nihilominus ministeria sacra in civitatibus praecipue petebantur; et in nostro Collegio ii scientia et virtute instruebantur homines, qui, post cladem, victi populi naturales duces et consiliarii essent futuri.

Missiones apud Indigenas.

Dum haec geruntur, Nostri Missiones apud Indigenas aperiebant. Septimo post conditam coloniam anno, scilicet 1615, advenerant primi PP. Franciscani Recollecti, qui Missiones et permanentes Stationes apud Indios instituere statim conati sunt. Dura autem experientia eos monuit quam difficile esset inceptum, sicque post plura conamina, uno ex eis a silvicolis occiso, Nostros auxilium rogaverunt. Vix in Canadam ingressus, P. de Brébeuf, anno 1625, iter fecit cum manu silvicolarum, quos in venationibus secutus, per totam hiemem conviatores et vitae consortes habuit. Anno sequente, Huronum regionem, ab urbe Québec 200 leucas distantem, assecutus, Missionem condebat quam, post 20 annos durissimi laboris, proprio sanguine irrigaturus erat.

Nulli barbari vicinias urbium Québec et Montréal occupabant, rari vero et dispersi in reliqua terra Canadensi inveniebantur. Ex his frequentiores tribus (ad 30 vel 40 hominum millia), qui nomadum mos est, hinc inde vastissimis locis vagabantur, duabus exceptis, Huronum et Iroquensium: Hurones ripas Magnorum Lacuum tenebant, Iroquenses regionem quae hodie Statum Neo Eboracensem (New York, Stat. Foederat.) constituit, aliqua stabilitate colebant. Cum autem Iroquenses Oceani littus iam attigissent, ubi Neerlandici mercatores, viri protestantes, stationes exstruxerant, Huronum tribus Gallos rogaverunt ut foedus secum icerent. Quapropter Patres Nostri ad eas primo progressi sunt, ibique primas et praecipuas Missiones habuerunt, unde progredientes, alias etiam tribus Magnorum Lacuum et Occidentalis re-

gionis visitabant. Eodem tempore, in finibus Orientalibus Canadae, prope littus Oceani, Missiones condebantur, dum alii missionarii, magnos rivos aqua adversa superantes, Septemtrionem versus, usque ad Hudson Sinum populis Christum nuntiabant.

Longum quidem est etiam adumbrare quantis laboribus et difficultatibus hae Missiones steterint. Ipsa via longissima : qui enim a Quebecensi urbe Huroniam petebat, ei integro mense opus erat ; itineris vero pericula et impedimenta gravissima : navigabatur scaphis ita instabilibus ut ab omni motu abstinere oporteret ; scaphae autem adversa aqua ad originem usque fluminis, remis pellebantur ; ubi nimis rapidum flumen, manibus trahebantur, ubi tandem transeundum erat ab uno fluvio in alium vel in aliquem lacum, humeris transferebantur. In ripis viatores, muscarum punctionibus cruciati, pernoctabant, summa cibi penuria plerumque oppressi ; non raro integrum diem ieiuni transibant. Vix brevem itineris partem per aquas et silvas confecerant missionarii, et iam, calceamentis attritis vestibusque laceratis, ipsis silvicolis similes effecti, nudis pedibus iter facere oportebat. Cui arduo itineri fine tandem facto, iam in casulis ex arborum cortice confectis habitandum erat, quae nivibus et pluviis patebant. His in tuguriis ignis fumo excaecati et suffocati, tam conferti simul cum barbaris vivebant ut extendendi membra unicuique locus non esset. Has inter medias difficultates, sacra ministeria exercebant, addiscebant Indigenarum linguam eisque Evangelium praedicare conabantur, adeo tamen exiguo fructu ut anno 1640, vix aliquos infantes in periculo mortis constitutos, adultosque paucissimos convertere potuerint. Talem vivendi rationem ipso martyrio acerbiorem nemo erat qui non existimaret, et revera viri illi martyrio devoti, aliquando in haec verba proruperunt : " Utinam securi nostrum caput discindatur ! „

Sed iam maximae calamitates Huronensi nationi instabant, a quibus, antequam deleretur, Deus ita amanter disposuit, ut veram Fidem amplecteretur. Etenim Iroquenses, quos socii protestantes suis consiliis imbuerant armisque europaeis instruxerant, suos hostes ratione et methodo destruere inceperunt. In silvis vel propter fluvios occulti incessanter insidiantes, in Hurones milites et venatores ex improviso irruebant. Quibus occisis, vicos defensoribus orbatos impugnabant, incendebant, mulieres puerosque captivos abducebant. Quo accidit ut brevi tristis horror Hurones invaderet omnesque prosterneret. Haec autem hora Dei fuit. Pau-

corum mensium intervallo, natio fere integra evangelicam doctrinam suscepit, eique ut vitam conformaret eximio fervore contendebat.

Octo Beati Martyres.

Necesse tamen erat ut cum urbe Quebecensi aliqua saltem communicatio fieret, ut inde auxilium aliaque Missionariis necessaria suppeterentur. Cum vero, aestate anni 1642, Beatus Isaacus Jogues eiusque comes Beatus Renatus Goupil huius generis expeditionem tentarent, ad Sancti Laurentii fluvium in Iroquensium insidiis incidentes, capti sunt. Cruciatus atrocissimos pertulerunt quibus hi barbari victimas suas antequam necarent, torquere consueverant. Patri Jogues, vestibus spoliato, transeundum fuit inter duos ordines Iroquensium, fustibus eum totis viribus caedentium. Haec vero ad modum exordii erant. Iussus enim deinde in aliquem suggestum ascendere, ubi omnia supplicia quae uniuscuiusque barbari barbara mens excogitabat, subire cogitur : digitos frangere aut secare, carnes subulis perforare, cuti carbones ardentes applicare, extrema digitorum concisa urere, artus funibus extorquere, carnis laceratae cruenta frusta coram patiente manducare, erant suppliciorum crudelissimorum pars. Nec satis ; Iroquenses delectabat, cum in suam patriam redirent, ligneis fragmentis pungendo, incessanter captivis vulnera renovare. Beati Patris miserabili fortuna pariter utebantur viginti circiter socii, inter quos duo Galli qui cum eo capti erant. Si Iroquenses popularium manui aut suae gentis pago obviabant, supplicia eadem eodem ordine iterabantur, uno alterove captivorum interfecto. Gallum tamen nullum occiderunt, sed aliquibus familiis, quarum unum alterumve membrum in praeliis perierat, ut servos tradiderunt. Mox Beatus Renatus, cum puerum signum Crucis doceret, eiusque frontem eodem salutifero signo muniret, necatus est. Guillelmus Couture, alter Patris Jogues socius, non multo post feliciter effugit. Pater vero, post 15 menses in durissima servitute consumptos, cum occasio fugiendi daretur, multa praehabita oratione, Deo consulto, eam, arripuit, et in Europam remeavit. Hic statim Superiores ut eum denuo in Canadam mittant rogat et impetrat. Interea Iroquenses cum pacem vellent constituere cum Gallis, B. Jogues, comite Gubernatoris legato, eos adit. Anno vero sequenti, iterum, cum Beato Ioanne de La Lande, Iroquenses visitat, ut apud eos stabilem missionem condat. Eo

vix ingressi, barbari, mutato consilio, ambos in odium christiani nominis, trucidant.

Bello sequentibus annis paulo remisso, acrius denuo inceperunt Iroquenses decertare. Die 4 iulii anni 1648 pagum quem P. Antonius Daniel Christo adiungebat, ex improviso armatis destitutum invadunt. Beatus e Sacrificio redibat. Hurones, ipso suadente, in silvas fuga salutem petunt, hostibus ipse obviam occurrit, telisque eorum sagittisque conficitur. Eius corpus, cervice ictu securis fracta, in sacellum iam incensum iniicitur.

Non multis post mensibus, die 16 martii 1649, Beatus Ioannes de Brébeuf, eiusque socius Beatus Gabriel Lalemant in manus hostium incidunt. Pater, pagum quoquo modo potuerat communierat, et christiani Hurones strenuo animo diu pugnaverant: sed hostes, qui longe maiore numero decertabant, postquam debile vallum transilire valuerunt, horrendam de Huronibus stragem ediderunt. Atrocissima supplicia Patri de Brébeuf perferenda manebant. Torquem securium ardentium ei applicant, carbonibus deinde ignitis vulnera concremant. Cum socios cruciatuum exhortaretur, os ad aures usque decidunt, labiis interea et naso resecatis; in iugulum ferra candentia defigunt, et os carbonibus ardentibus implent. Ut sancto Baptismo irriderent, aquam ferventem in caput profundunt. Heros Christi supra modum admirandus et bonorum dignus memoria fortissime haec perferebat ad palum alligatus, donec ictu securis exanimis corruit, in caelum evolans coronandus.

Voluerant autem Iroquenses suppliciis testem esse Beatum Gabrielem Lalemant, ut ea quae ei reservabantur aliquomodo praegustaret. Huic Patri, corpore debili, missionario recentissimo, cum paucis tantum ante mensibus advenisset, horrendum supplicium ad mane usque diei sequentis protraxerunt. Eum primo veste ex arborum cortice confecta induunt, quam postea inflammant. Cruribus deinde ferro profunde incisis, secures igni candentes admovent. Oculis avulsis, carbones ardentes in alveos collocant. Per integram noctem pueris traditur, quibus pro marte suo eum torquendi licentia datur, eo tamen pacto ne succumbat. Nona denique ora circiter, cum adhuc sui conscius ferventi animo seipsum Deo offeret, et pro suis tortoribus oraret, securi et ipse agonem infandum superavit, coronam gloriae adeptus.

Brevi autem intervallo, alium Huronensem pagum aggressi, Beatum Carolum Garnier interfecerunt Iroquenses. Eius socium, Patrem Natalem Chabanel, qui pridie pagum reliquerat, apostata

quidam Huronensis insidiose necavit. Ita hic Beatus, qui ut horrorem ad has missiones superaret, heroico voto perpetuo ad easdem colendas se obstrinxerat, " martyrium sine sanguine „ a Deo petens, ab eodem cum sanguine ditatus est: siquidem haec sunt Dei munera.

Reliqui Huronenses, terrore perculsi, Quebecensem urbem petierunt, Gubernatoris protectionem implorantes. Patres Nostri eos in pago hodie quoque exsistente coegerunt. Cuius vici praeses in festis mense iunio celebratis, publice gratias referre voluit Societati Iesu quae tanta caritate suam infelicem nationem prosecuta esset.

Quindecim annis post haec, cum Galli Iroquensium submissionem tandem obtinuissent, Missiones apud eos quoque floruerunt. Ab uno e Nostris plures eorum christiani effecti in vicina urbis Marianopolis, magnum pagum fervore vitae christianae insignem constituit. Quo in pago ultimos vitae annos degit Iroquensis virgo Catharina Tekakwita, cuius processus beatificationis agitur. Caughnawaga vico nomen est, et 2000 incolarum, qui a primis Iroquensibus originem ducunt, hodie numerat, quique fere omnes catholici, eo humanitatis pervenerunt ut a concivibus ex Europaea stirpe oriundis vix distinguantur.

Apostolicae et scientificae excursiones.

Anno 1665, pace tandem constituta Gallos inter et Indigenas, ut ad septemtrionales occidentalesque regiones, ita ad orientales plagas quaquaversus Missiones progrediuntur. Interea Nostrorum alii in urbe Montréal et Trois-Rivières, et in praecipuis praesidiis, residentiarum ministeriis incumbunt; indigenas vero alii in diversas stationes propter flumen Sancti Laurentii cogunt. Eisdem fere temporibus totum Americanum solum, famosis itineribus, alii perlustrant fiuntque terrarum novarum inventores. De quibus ita Bancroft, Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis historiae scriptor: " Tantorum virorum cum laboribus, clarissimarum urbium omnium Americae Septemtrionalis origo connectitur. Praetervehebatur promontorium nullum, nullus novus fluvius inveniebatur, quin Iesuita quidam expeditionem dirigeret. Anno 1673, P. Iacobus Marquette, iter faciens per lacum Michigan et regionem quam hodie civitas Chicagensis (Chicago) occupat, fluvium Mississipi reperiebat, illumque fere ad Oceanum usque explorabat; iam paucis ante annis, alius Iesuita deiectus

fluminis Niagara visitaverat; alii vero Magnos Lacus scrutati erant, praecipuosque fluvios adversa aqua navigaverant; sinum etiam Hudson alius invenerat „. Paulo post Nostrorum alii comites fiunt viatoribus qui immensa prata centralis regionis penetrantes ad Montes usque Saxosos intrepidi procedunt. Ubique, a regione Quebecensi immo a littore maris ad Montes Saxosos et Mexicanum sinum, per territoria vastitate incredibili stabiles Missiones instituunt, et Evangelii lumine populos illustrant. Complures utique praematura aut violenta morte abrepti pereunt, inter quos nonnullos altarium honoribus sublevandos non dubia spes est.

Haec omnia permagna opera, cum Anglia et Americae Anglicae coloniae Canada potitae sunt, anno scilicet 1760, finem habuerunt. Non secus enim ac alia religiosa Instituta, Societas ullum novitium in futurum recipere prohibita est. Quod decretum anno 1790 abrogatum est, tempore id quidem ut Sulpiciani Sacerdotes et Religiosarum Congregationes nunquam non existerent, at intempestive ut Recollecti et Iesuitae ullam utilitatem exinde arriperent. Societas enim in Europa oppressa, paulatim in Canada decrevit, ubi ultimus Pater anno 1800 e vita decessit. Quo mortuo, omnes nostri fundi a Statu arrepti sunt. Insuper iam ab anno 1760, ob professorum penuriam clausum erat Collegium Quebecense: iam ergo tantorum primae Societatis laborum in Canada sola memoria remanebat.

Nova post restitutam Societatem Missionis initia.

Nova Societas in Canadam nonnisi anno 1842 iam incepto reversa est. RR. DD. Ignatio Bourget, Episcopo Marianopolitano (Montréal) orante atque obsecrante, A. R. P. Generalis Ioannes Roothaan priorum Iesuitarum in Canada opera instauranda Patribus Galliae commisit. Quapropter in Missiones primo per paroecias praedicandas, postea apud silvestres Magnorum Lacuum constituendas, iis plane in locis ubi olim nostri Martyres Huronibus Evangelium praedicaverant, incubuerunt primi operarii. Anno sequenti, 1843, in urbe Marianopoli exorsi sunt tirocinium, quod postea in suburbio Sault-au-Récollet sedem habuit et ad hodiernum diem retinet. Ibi Neo Eboracences (New York) novitii una cum Canadensibus disciplinas asceticas didicerunt, donec illi in Novitiatum in West Park constitutum transmigrarunt.

Anno 1846, cum Missio Kentuchy suppressa esset, New York territorio Canadensi Dominio annexo, unica Missio insti-

tuta est, quae primo Franciae, et anno 1863 Campaniae Provinciae addicta fuit. In urbe Marianopoli, anno 1848, Collegium Sanctae Mariae condebatur, et pone ipsum, anno 1864, templi " Gesù „ fundamenta iaciuntur, quod quidem templum prae primis in urbe hodie habetur.

Nostri porro, superiorum vestigia ingredientes, Missionibus inter agrestes se impense dederunt. Appulsi anno 1844 ad quamdam magnorum Lacuum insulam, Manitouline nomine, in pago Wikwemikong scholam extruunt, in qua pueri indigeni, praeter ordinarias disciplinas, artificia praesertim discunt, quibus victum postea sibi comparare facilius possint; altera vero eiusdem generis schola, Religiosarum curis commissa, puellis educandis consulit. Interea apostolicis excursionibus quaquaversus indigenis Christi verbum circumferunt. Non multo post, ex urbibus Sault-Saint-Marie et Fort William, ubi annis 1846 et 1849 stationes posuerant, calceis utentes ad itinera per altas nives adaptatis, aut tragulis quas canes vehere solent, in pagos 400–500 kilometra distantes evangelicam doctrinam spargunt. Iisdem in locis, quibus Ontariensis provincia (Ontario) hodie constat, Nostri Stationes habuerunt in urbibus Kingston, Toronto; Residentias vero in Chatham, Wilmot, etc., quas omnes, postquam ita adoleverunt ut florentes paroecias constituerent, Episcopis tradiderunt. Urbem Guelph duo Patres, Tyrolensis unus, Polonus alter, ambo improbo labore insignes, coluerunt. De his enim Episcopus dictitabat utriusque laborem quatuordecim sacerdotum labori aequipraestare.

Multi alii decursu temporis advenerunt et plurimas in paupertate et aerumnis stationes condiderunt, quae hodie maximae prosperitatis paroeciae evaserunt.

Anno 1843 et sequentibus, cum " Pacifici Canadensis Societas „ (*Pacifique Canadien*) immensam viam ferream per regionem Ontariensem septemtrionalem et ultra aperiret, Nostri Patres pari passu ac opifices progrediebantur, eorum spiritualem curam assumentes, necnon multiplicium viculorum qui propter novam viam aut in vicinis terris erigebantur. Opifices ad metalla et in silvis laborantes, familias dissitissimis in locis dispersas visitant, sacella exstruunt, coetus hominum, organis socialis vitae et religiosae bene instructos, quantum possunt multiplicant: ex quibus qui tantum incrementi ceperant ut uni sacerdoti sustentando pares essent, Episcopo demandabantur. Processu temporis hi nuclei

plures dioeceses evolverunt, in quibus memoriam indefessi Patrum laboris et abnegationis nulla unquam temporis oblivio delebit. Hodie, civitates multae, unum Collegium Societatis, nosocomia complura, scholas plurimas his in locis recensent florentes, ubi Patres anno 1850 deserta invenerant.

Anno 1885 in Manitoba Collegium Sancti Bonifacii, tum Gallis, cum Anglis discipulis aptum, Nostri dirigendum assumebant. Eodem anno, Marianopoli, paroecia et Scholasticatus Immaculatae Conceptionis condebantur, et decem annis post, eadem in civitate, Loyolaeo Collegio lingua anglica utentibus destinato initia ponebantur.

Provinciae et operum incrementum.

Missio Canadensis, quae anno 1879, occasione suae divisionis a New York missione, Provinciae Angliae unita fuerat, anno 1887 independens declarabatur, atque 20 annis post, anno scilicet 1907, dignitatem et iura Provinciae obtinebat. Requidemvera, ab anno 1879, quo a New York divisa est, mirum quantos, Deo favente, progressus fecerit, ut videre est sequentibus numeris:

Anno 1879:	PP.	35	Schol.	59	Coad.	53	Universi	147
„ 1907:	„	140	„	88	„	80	„	308
„ 1924:	„	180	„	249	„	122	„	551

Decurrente anno 1913, duo nova Collegia, in urbe Sudbury (Ontario) et Edmonton (Alberta), atque alterum Tirocinium, anglicanam linguam usurpantibus destinatus, in civitate Guelph (Ontario) condita sunt. Anno 1924, in urbe Vancouver (Britannica Columbia) nova paroecia nostris curis demandata est.

Eo autem prosperitatis pervenerat Provincia Canadensis, ut eodem illo anno 1924 die festo SS. Cordis Iesu in duas partes divisa sit: Prov. Canadae Inferioris et Vice-Prov. Canadae Superioris (1).

Cum parochi munus pluribus in civitatibus exercendum vitare non possent Nostri, non tantum pias effingere paroecias conati sunt, sed etiam quasi earum exemplaria clericis exhibere sategerunt. Quam certe contentionem non frustra adhibitam esse existimes, si Immaculatae Conceptionis Marianopolitanam paroeciam consideraveris, quae multiplicibus mediis, quibus in civitatibus hodiernus apostolatus exercetur, optime instruitur.

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1924, pp. 101-103.

Inter alias rationes, paroeciis multum opitulata est ephemeridis inter-parochialis divulgatio a Nostris coepta, cuius pars potior, 80-90.000 exemplarium editorum, singulis familiis plus quam 80 paroeciarum de more distribuitur. Duplex etiam habetur editio Nuntii Sacratissimi Cordis, anglica nempe et gallica, qua re Nostri mores populi christianos ita feliciter excoluerunt, ut non erret qui frequenter communicandi praxim tam mira celeritate apud nostrates diffusam Apostolatui Orationis tribuat. Singulorum mensium primus dies veneris, ab omnibus quidem, sed a viris praesertim, ut SS. Cor Iesu rogavit, in plurimis locis celebratur. Mane viri Sacra Dape simul se reficere, sub vespere autem integram horam Reparatrici Adorationi coram Sanctissimo Sacramento devovere consueverunt. Nostri enim Sacratissimi Cordis Consociationem (*Ligue du Sacré Cœur*) constituerunt, quae, viris destinata, adeo simplicibus et flexibilibus legibus ornatur, ut diversissimis locorum et temporum conditionibus plane adaptari potuerit, atque latissimam diffusionem, plurimorum optimo fructo, obtinuerit. Haec Consociatio, praeter ea quae ab Apostolatu Orationis exiguntur, a suis quintuplicem requirit promissionem, ebriositatem scilicet et blasphemiam vitandi, ab omni opere servili dominico die cessandi, Sacramenta frequentandi, consociationes neutrales quae dicuntur fugiendi. Huius foederis solidissimos et perennes fructus omnes parochi praedicant, ac prae primis nostri Missionarii excurrentes.

Omnibus aliis operibus a Societate susceptis Exercitiorum clausorum opus hodie praestare videtur. Quamquam sacerdotum penuria prohibiti sumus quominus omnes acciperemus domos nobis oblatas – quae proinde diversis religiosis Institutis sunt demandatae — Nostri tamen quatuor in domibus Spiritualia Exercitia viris ipsi tradunt, praedicatores vero quinque aliis domibus, pro puellis matronisque, suppeditant. Vacationem tempore, in diversis collegiis ad hunc finem apparatis, plurimos clausorum Exercitiorum cursus a Nostris impertiuntur. Apertissime declarant RR. DD. Episcopi quantum levaminis et laetitiae haec opera ipsis afferat, fatentes consociationes novas hinc effluere, opera reliqua catholica iam existentia hinc vitam et omnimodum incrementum mutuare et quidquid est spiritus infundi. Iuvat aliqua recensere. Ab Exercitiis originem ducunt: " Proxenetarum Consociatio Catholica „ (*Association Chatholique des Voyageurs de Commerce*), quae tanta alacritate et efficacitate rem catholicam in Ca-

nada promovet; " Consociatio Operariorum in viis ferreis „ (*Association de Cheminots*); " Vigilum civitatis „; " Operariorum in viis ferreis urbanis„; " Consociationem etiam Iuventutis Canadensis Catholicae „ (*Association Catholique de la Jeunesse Canadienne)*, et plures etiam alias Exercitia nostra promovent.

Hominum coetus diversissimarum classium veluti Operarum, Tabellariorum, iuvenumque studiis superioribus in Universitatibus operam dantium ab Exercitiis congregantur. Est quoque " Antiquorum Exercitantium Foedus „, a quo initia repetunt " Consociatio ad bonos mores promovendos „ et " Consociatio ad leges diei dominicae observandas „. Hi omnes omnibus mensibus ad Sacram Communionem una recipiendam et audiendam de re religiosa orationem confluunt; deinde de rebus summis in causa catholica deliberant. Hi viri sunt catholicorum flores ardentissimo zelo praediti, aliarum saepe catholicarum aggregationum membra praestantia eaque actuosissima, praecipue in operibus sortem pauperum et opificum respicientibus. Hac via ergo universi nationis incolae Nostrorum apostolatu praeoccupantur. Ad mentes vero catholicis principiis imbuendas erexerunt Nostri, cui adhuc praesunt, " Opus Hebdomadarum Socialium „ et " Scholam Popularem Socialem „ (*Ecole Sociale Populaire*), quae plagulis, orationibus, scriptis, christianam doctrinam socialem eos, quorum auctoritas apud concives maxime valet, edocent. " Foederationi autem Unionum Operariorum Catholicarum „ constituendae partem non mediocrem Nostri contulerunt. Patres autem qui anglica vernacula ut lingua utuntur, iisdem fere operibus et optimo fructu, quamvis maiores inter difficultates, insudant. Praeter enim quam quod " Nautarum Catholicorum Associationem „, et " Scholam Socialem „ ab ipsis fundatas administrant, indefessi etiam versantur in " *Catholic Social Guild* „, " *Catholic Women's League* „, " *Catholic Truth Society* „ (pro Canadensibus) adiuvandis. Ad quae omnia sustinenda, valido semper auxilio fuit " Nuntius Sacratissimi Cordis „ editus. In huius enim officina, in qua 54 operarii continenter pretio conducuntur, praeter 12 periodicas ephemerides pluresque libros, imagines plurimas et fere infinita alia omnis generis folia quotannis prelo subiecta, in vulgus sparguntur.

Externorum existimatio et benevolentia.

Quae quidem universa tum clericorum tum laicorum maximam opinionem et benevolentiam nobis comparaverunt. Tantum enim abest ut S. Ignatii filii quibus suspicionibus alibi laborant

ab invidia, eas in America Septemtrionali experiantur, ut potius Canadensis Episcopatus, hanc centenariam occasionem arripiens, communibus datis litteris pastoralibus quas infra referemus (1), Societatis merita summis laudibus ad Dei gloriam extulerit. Etiam civiles praesides, singulis sollemnibus publice interveniendo, et elargitionibus pecuniariis sumptus non levem partem in se suscipiendo, eandem de nostra Societate existimationem manifestarunt. Haec omnium praeconia in memoriam revocant quae olim Marianopoli illustris quidam S. Dominici filius publice dicebat: " Quoties in Canada opus, quod ad animarum salutem et Dei gloriam magni sit momenti, eximios fructus facere videmus, firmo animo inquirere possumus quis Iesuita ei vitam et incrementum et disciplinam conferat. Ipsi enim prosperi eventus viam quam optime norunt „.

Iuvat concludere verbis RR. DD. Aloisii Adulphi Paquet, viri amplissimi et in Universitate Quebecensi Theologiae Professoris, qui per dies sollemnes, quod omnes Canadenses sentiebant his verbis expressit: " Cum veneratione illud Institutum salutamus cuius alumni primas historiae nostrae paginas gloriosissimis litteris scripserunt, nostrum Episcopum primum instituerunt, nostrae nascentis Ecclesiae progressibus tantum contulerunt, et, postquam aliquamdiu labores, necessitate coacti, intermiserunt, iterum, proximo elapso saeculo, tanto zelo eisdem se manciparunt. Iuventutem instituere, praedicare, animas in viis spiritualibus dirigere, paganos evangelizare, nihil eorum ad quae prisci se devoverunt, hodierni Iesuitae praetereunt. Si quid tamen hi ab illis differunt, hodierni hodierna ministeria antiquis addunt, quod sedulo et promptissimo zelo opera socialia suscipiunt. Consociationes et opera, quorum fines nobilissimi cum Christi amore, patriae dilectione et Canandensium futura sorte arctissime connectuntur, aut ipsis suadentibus nata sunt, aut ipsis impellentibus et dirigentibus subsistunt et florent. Scriptis, orationibus, concursationibus, suum apostolatum mira industria et robore exercent. Ideoque tam in idearum quam in factorum campo pretiosos fructus iam attulerunt. Beati Martyres, quos Ecclesia nuperrime extulit, intensiore fraterno amore impulsi, eis praesidium certissime non denegabunt, suum in quibus, hac in terra, sibi ipsos superstites esse gaudent „.

Nostrum autem erit haec verba factis aequare, ac vestigia tantorum Patrum persequi!

(1) V. intra pp. 406–418.

LETTRE PASTORALE

DE

Son Eminence le Cardinal Archevêque de Québec et de NN. SS les Archevêques et Evêques des provinces ecclésiastiques de Québec, de Montréal et d'Ottawa, à l'occasion de la béatification des Martyrs Jésuites.

Nous, par la grâce de Dieu et du Siège Apostolique, Archevêques et Evêques des provinces ecclésiastiques de Québec, de Montréal et d'Ottawa.

Au clergé séculier et régulier, et à tous les fidèles de nos diocèses respectifs, Salut et Bénédiction en Notre-Seigneur.

Nos très Chers Frères,

Le 15 juin 1625, cinq religieux de la Compagnie de Jésus, les Pères Charles Lalemant, Enemond Massé, Jean de Brébeuf et deux frères coadjuteurs débarquaient à Québec. Ils allaient inaugurer un apostolat dont la fecondité se déploie tout le long de notre histoire et dont l'héroïsme a provoqué l'admiration de tous les historiens, même de ceux qui sont hostiles à notre foi.

P. Alphons. Duscheck,	Austriae	Incepta in Sinis.
P. Emman. Kubiček,	Cechoslov.	——
P. Bernardus Arens,	Germ. Inf.	Iaponiae.
P. Georg. Schurhammer,	Germ. Sup.	Poonensis.
P. Adalb. Bangha,	Hungariae	Incepta in Sinis.
P. Ioannes Van Rijckevorsel,	Neerlandiae	Iavanensis.
P. Ios. Krzyszkowski	Poloniae	Rhodesiae Sept.

Ex Assistentia Galliae:

	Provincia	*Missio*
P. Ios. Desmarquest,	Camp.	Sien-hsien (Sin.).
P. Henricus Dubois,	Camp.	Trincomal., Fianarantsoa.
P. Alexander Brou,	Franciae	(*Scriptor*).
P. Gustavus Gibert,	Franciae	Nankinensis.
P. Henricus Riondel,	Lugdun.	Armeniae, Syriae, Aegypt.
P. Io. B. de Grangeneuve,	Tolosana	Madurensis
P. Petrus de la Devèze,	Tolosana	Tananariv. Maurice, Réunion.

(1) V. supra, pag. 317. — Cfr. etiam *Acta Rom.*, vol. V, 1925, pp. 282-284, ubi habentur quoque " capita rerum „ quae in congressu tractanda praevidebantur.

Ex Assistentia Hispaniae:

	Provincia	*Missio*
P. Richardus Cirera,	Aragon.	Bombayensis.
P. Florent. Zurbitu,	Aragon.	Mindanao (Philipp.).
P. Petrus Colom,	Argent.-Chil.	——
P. Ambrosius Olangua,	Castell.	Wu-hu (Sin.).
P. Ioachimus Gomez,	Columb.	——
P. Ant. Lopez de S. Anna,	Legion.	Ankingensis (Sin.).
P. Aloisius Alves,	Lusit.	Goana, Canton (Sin.).
P. Ioachimus Cardoso,	Mexic.	Tarahumarensis.

Ex Assistentia Angliae:

	Provincia	*Missio*
P. Eduardus King,	Angliae	Rhod. Mer.
P. Cuthbertus Cary-Elwes,	Angliae	Guiana.
P. Albertus Gille,	Belgica	Bengalensis.
P. Hermannus Haeck,	Belgica	(*Adi. Secr. pro Mission.*).
P. Theodorus Monnens,	Belgica	Kwangensis.
P. Eduardus Goulet,	Can. Inf.	(*Secret. pro Mission.*).
P. Theodorus Desautels,	Can. Sup.	Canadensis.
P Ioannes Coyne,	Hibern.	——

Ex Assistentia Americae:

	Provincia	*Missio*
P. Laurentius O'Keeffe,	Calif.	Alaskana, Montes Sax.
R. P. Franc. Kelly, *Sup. Miss.*	Maryl. N. E.,	Iamaicensis.
P. Iosephus Meuffels,	Missour.	Patnen., Dakota, Hond.
P. Albertus Biever,	Neo Aurel.	——

Aderant etiam, praeter Patrem Nostrum, RR. PP. Assistentes, Praepositus Provinciae Romanae, Secretaris Societatis, Procurator generalis aliique ex Patribus Curiae.

Congressus Secretarios agebant P. Hermannus Haeck et P. Adalbertus Bangha.

Allocutio Summi Pontificis (1).

(8 oct. 1925)

Die penultimo Congressus, Patres congregati a Patre Nostro ad Summum Pontificem ducti et a Sua Sanctitate benignissime admissi sunt.

Summus Pontifex singulis manum osculandam dedit, singuli quoque Sanctitati Suae a Patre Nostro praesentati sunt. Complures Patres Summus Pontifex peculiarem in modum laudavit variaque ab iis de Missionibus quaesivit. Postea omnes simul his fere verbis lingua italica allocutus est:

(1) Quae sequuntur, ex " Actis Congressus Missionum S. J. 1925 „ pp. 135-154 transcribimus.

" Ex toto corde vos salutamus qui ad hunc congressum convenistis, parvum utique numero, sed magnum qualitate eorum Missionariorum quos repraesentatis. Non possumus non gaudere intime de omnibus iis laboribus quos sive vos, sive socii vestri, in tam larga vinea Domini exantlatis. Nec tantum gaudemus, sed etiam gratias agimus toti Societati vestrae pro servitiis praeclaris Ecclesiae datis et optima quaeque pro futuro vobis auspicamur cum praesens conditio vestrarum Missionum optimum pignus sit eventuum felicium in futuro. Grato quoque animo memores sumus magnae partis quam Societas habuit in paranda Expositione Missionaria Vaticana. Magno cum gaudio vidimus conspectum statisticum Missionum vestrarum, quo omnia tam bene ordinata et concinna apparent, cum eloquentia numerorum et colorum: ex quo conspectu intueri licet vastissimum illius laboris campum quem in Missionibus cum fructu immenso exaratis. Ex toto corde gaudemus quod occasionem habemus dicendi vobis totam Nostram satisfactionem et gratitudinem pro omnibus illis obsequiis quae filiis Nostris exhibetis in terris quamvis longinquis, filiis quos habemus et filiis quos cras habebimus; cum Patris sit curam gerere filiorum, gratias paternas vobis dicimus etiam pro filiis Nostris. Et in hac Nostra magna gratitudine videre potestis etiam gratitudinem totius Ecclesiae erga vos.

" Vos non quaeritis remunerationem in hac vita. Sed tamquam principium et pignus praemii aeterni quod Dominus Deus servis suis fidelibus et generosis dare solet, quales sunt Missionarii Societatis et certe etiam in futuro erunt, benedictionem apostolicam, tamquam coronam et pignus fructuosi laboris vobis daturi, rogamus Dominum ut vos per manus sui Vicarii benedicere dignetur „.

V.

DE " ACTIONE POPULARI „ PARISIIS CONSTITUTA.

Hoc opus, a P. Henrico Leroy conceptum, conditum est Rhemis anno 1903. Die 19 sept. 1914 incendium sedem vix non absumpsit: sed anno 1919 e ruinis quasi surrexit, ac primum humili loco Lutetiae Parisiorum stetit, mox ad Noisy-le-Sec (Seine) vixit, donec, novis et amplis aedificiis propriis excitatis, in Lutetiae suburbio anno 1922 novum domicilium fixit, nec iam Provinciae Campaniae tantum in qua natales habuit, sed omnium Galliae Provinciarum coepit esse opus commune (15 aug. 1920).

Pro instituto habet catholicae actioni inservire prae primis *in re sociali*, cum dilucide doctrinam Ecclesiae exponendo, tum methodum viamque ad praxim indicando et ad eam veluti manudeducendo.

Quapropter huius operis hominum genera sunt duo: primum instituentium vel dirigentium eiusmodi sodalitates, congregationes, societates, syndicatus quos vocant etc.; alterum eorum qui prioribus sunt ad manus velut ipsorum ministri et adiutores, actionum socialium media, rationes (*renseignements*) indicando, consulendo, suppeditando.

Igitur tota " Actio Popularis „ non tantum in eo est ut faciat, sed praecipue ut facientes adiuvet, dirigat, promoveat, quin adeo se prodat ipsa. Programma eius ac veluti insigne est ut operibus societatis catholicae vitam et motum influxu intimo subministret, quemadmodum animus corpori vitam et motum, quin cernatur, actione intima subducit et conservat.

Paulo recondita quidem ea agendi ratio sed fructu uberrima: quin etiam, utpote quae ab omni dominatu aliena, praeiudicia, contentiones, simultates vitat, immo Episcoporum clerique benevolentiam, favorem, animum gratum sibi conciliat. Testimonio sunt innumerae ac fere quotidianae litterae quae ad nos perferuntur.

Porro ad suum finem obtinendum tria media seu instrumenta Actio Popularis adhibet; quorum duo priora ei communia sunt cum ceteris apostolatus centris, scil. scripta et verba, tertium autem ei fere peculiare est, nempe consultationes doctrinales iuri-

dicae et etiam practicae operum moderatoribus et fundatoribus datae.

De his tribus instrumentis, singillatim:

A) Et primo quidem, scriptorum nomine veniunt tres publicationum species: α) libri et opuscula; β) periodica; γ) folia (" *Tracts* „ et " *Plans pour Cercles d'Etudes* „) et libelli.

α) Librorum recens catalogus continet titulos 80, opusculorum 107 (" *Brochures jaunes de l'A. P.* „). Ex hoc catalogo operae pretium est referre: *Memorias* Cardinalis Dominici Ferrata de sua Nuntiatura apud Gallicam Rempublicam, ipso Benedicto Papa XV expresse exoptante, nuper ab Actione Populari, lingua gallica large divulgatas. Quodsi excogitamus synthesin quamdam actualis librorum catalogi, sub duobus titulis hi varii libri collocari pos sunt, prouti sive ad moralem et socialem educationem referuntur, sive de ipsis fundamentis ordinis socialis et oeconomici christiani reddendi tractant.

β) Periodica praesertim nova Actio Popularis hucusque curavit: redigit enim primo bimestres fasciculos " *Dossiers de l'Action Populaire* „ iuxta tres editiones variis lectorum classibus accommodatas, *cum* vel *sine* " Supplemento „ de aliis nationibus vel de documentis. In externa dispositione, ii fasciculi " *Dossiers de l'A. d. P.* „ illud habent quasi proprium quod ad libitum lectoris possunt aut servari sicut servantur cetera periodica et in volumina confluunt perpetua paginis aggregati, aut in folia separata ita disiungi, ut articulos de uno eodemque argumento continentia, separatim in particularem seriem propriis paginis agglomerari queant et iuxtaponi indesinenter: unde fit ut de eo argumento aliqua capsa (" *Dossiers* „) tandem efformetur, quae multis studentibus vel paroecialium operum praesidibus perutilis, maxime tractabilis videtur. Genus argumentorum de quibus fasciculi tractant " *Dossiers* „, potius pertinet ad praxim, informationibus itaque practicis et realibus abundant.

Quod idem dicendum est de alio periodico " *Pratique Sociale* „, bimestri, cuius fasciculus quisque iam per sese opusculum est quoddam iustum, interdum fere liber. Hoc alterum tamen periodicum ab iis quae " *Dossiers* „ vocantur differt eo quod iam magis technicum sit, integrum saepe legum vel publicarum ordinationum textum referens et commentariis illustrans, simulque formulas practice necessarias vel utiles recensens. Ut statim agnoscunt quicumque olim Manuale Practicum Actionis Popularis ad

manus habuerunt, novum illud periodicum " *Pratique Sociale* „ nihil revera est nisi antiqui Manualis Practici editio renovata, renovata quidem non modo circa materiam (leges, ordinationes, interpretationes et formulas novas) sed etiam circa formam, cum uni volumini antiquo successerint fasciculi periodici.

Pauca hic dicenda sunt de " Archiviis Manualis Socialis „ a RR. PP. Vermeersch et Muller in Belgio editis, et satis omnibus Nostris notis, cuius operis, gravis quidem et eruditi, Actio Popularis in Gallia exclusive coeditionem habet.

Contra, lectoribus opificibus et agricolis aliud quartum periodicum editur, sive sub genuino titulo suo " *Peuple de France* „, sive sub alio quovis titulo paroecialis periodicus fasciculus apparet, ad placitum talis vel talis paroeciae sacerdotis. Iam sub hac altera forma i. e. sub forma paroecialis periodici, plus quam octoginta millia exemplarium, post duos annos, singulis mensibus veneunt.

Nonnisi brevis sit mentio de trimestri folio " *L'Action Populaire* „, quod a plerisque Galliae parochis legitur, novas publicationes Actionis Popularis indicans et moralem quemdam contactum cum universo clero Galliae efficiens.

Tandem ab anno 1923 nova periodica editio experimenti causa facta est, " *En Quatre Pages* „, in qua in lucem eduntur varia scripta seu religiosa, seu moralia, praesertim quae ad auditores circulorum studiorum destinentur.

γ) Tertio, folia et libelli, praesertim tractus (" *Tracts* „) et argumentorum conspectus (" *Plans* „) magna copia eduntur tum ad vulgus destinati, tum ad iuvenes sive collegiorum sive sodalitatum qui in studiorum circulos (" *cercles d'études* „) conveniunt. Nova collectio tractuum, a bello scilicet rursus incepta, numeros habet 47 ; nova collectio conspectuum argumentorum 95.

Hic aliqua facienda est mentio de recenti institutione commercialis cuiusdam societatis sub titulo " *Editions Spes* „, cuius sedes Lutetiae est. Haec societas, ab Actione Populari distincta et independens, initialem summam 1.000.000 Fr. accepit a circiter quingentis actionariis catholicis (quorum multi sunt sacerdotes saeculares, aliqui etiam Episcopi) et sub forma omnium aliarum commercialium societatum est constituta, a technicis laicis directa. Obiectum iuxta statuta propria habet quidquid munus est editoris, et generatim quidquid plus minusve ad publicationes divulgandas pertinet. Huic editrici Societati Actio Po-

pularis omnes suas publicationes sive praesentes sive futuras tradidit intra 20 annos edendas et divulgandas, sibi retinens solum laborem redigendi; unde duo simul obtenta sunt: 1) exonerantur deinceps Nostri ab omni munere et officio, quod plus minusve mercaturam redoleret seu commercii quamdam speciem prae se ferret; 2) societas editrix, utpote vere commercialis, maiores opes et facultates habet ad ipsam divulgationem publicationum Actionis Popularis, quae tamen omnia auctoris iura servavit. Ceterum haec nova societas non exclusive eius publicationes edit, sed generatim quidquid editoris catholici esse potest. Haec de scriptis.

B) *Verbo* etiam Actio Popularis utitur, multimode quidem, secundum varias rerum circumstantias. In priore phasi historiae suae, scil. ante a. 1914, Actio Popularis inierat iam, nonnullis Episcopis petentibus, Collationes sacerdotales ("*Journées sacerdotales* „) quae, summa, habitae erant in undecim dioecesibus, duos vel tres dies, sive in una urbe, sive in pluribus eiusdem dioeceseos locis. Harum collationum programma huiusmodi erat: exponebantur a Patribus Actionis Popularis varia themata ad actionem catholicam pertinentia, v. g. de catholicis ordinandis (de coetibus paroecialibus, etc.), de actione sociali atque syndacali christiana, tam apud industriales patronos et operarios quam apud agricolas, de schola publica et privata ac de associationibus patrum familias, etc. A mane usque ad vesperum, in laborem incumbebant auditores ac Patres, omnimodis quaestionibus circa rem propositam studentes. Simul habebatur quotidie exhortatio mere spiritualis. Et quidem eae collationes miros aedificationis fructus gignere videbantur. Eadem mente, latiore vero et altiore modo, habitae sunt aliae collationes totam hebdomadam ("*Semaine d'Etudes* „), in qua triginta selectissimi sacerdotes ex septem et viginti dioecesibus, ab Episcopis delegati, quas actio catholica quaestiones complectitur, eas Rhemis elaboraverant. Methodo analoga, habiti sunt coetus syndacales, tres integros dies, pro selectis operariis.

Actio Popularis restituta, propter temporum difficultates, in duabus tantum dioecesibus collationes sacerdotales habuit; sed, ex altera parte, saepe saepius ab Episcopis seu a maiorum Seminariorum Superioribus flagitantur Patres Actionis Popularis, ut cum alumnis series sermonum etiam, per modum scholae, habeant. Insuper multiplicantur quotidiani contactus sive cum sacerdo-

tibus, sive cum laicis qui modis omnibus socialem influxum exercere legisque christianae normas promovere possunt. Notandi denique sunt Cursus Socialium Studiorum quos ab anno superiore, una cum aliis magistris, nonnulli Patres Actionis Popularis, rogante RR. DD. Alfrido Baudrillart, Rectore, in Instituto Catholico Parisiensi docent.

C) Postremum Actio Popularis consultationes doctrinales, iuridicas, vel practicas, et generatim quascumque informationes de rebus ad actionem catholicam pertinentibus, operum moderatoribus vel fundatoribus praebet. Ad quasdam consultationes, iurisconsultos auxiliarios (sub Nostrorum theologica censura) duos adhibet, iuris civilis doctores, quorum alter insuper doctor est scientiarum oeconomicarum.

Volumen " *Manuel Social Pratique* ", ante bellum editum et bene notum, nil fere fuit nisi compendium quoddam systematicum multiformium consultationum, quas Actio Popularis complures annos dederat.

Haec forma apostolatus, quae fere ei est propria, Actioni Populari complurium paroecialium sacerdotum maximam et intimam fiduciam comparavit, cum in hoc praesertim humili eoque obscuro ministerio nihil nisi adiutorium, ad dictamen suum, ipsa praeberet. Huiusmodi adiumentum utile fuit clericis gallicis, praesertim annis illis adversis quibus, antiquo concordatu repudiato, per vim, Status ab Ecclesia separabatur. Tunc enim, quamquam altera ex parte libertas ipso facto sacerdotibus ad agendum erat restituta maior, tamen propter rerum inopiam, non modo multa paroecialia opera, sed ipsius cleri victus et vestitus et domus vix sustinebantur, vel potius prioribus fere omnibus suppeditamentis quotidie privabantur. Eodem tempore, de scholis pugna magis magisque in dies exardescebat; et opifices syndicatibus socialistarum (qui ea aetate quasi soli dominabantur) nomina dabant cum religionis pernicie.

Ad haec varia pericula evadenda vel avertenda, clerus gallicus antiquas institutiones et opera, pro novis adiunctis factorum, personarum et legum, renovare et restaurare debebat. In hoc opus parochis multis operumque moderatoribus Actio Popularis, quantum in se erat, auxilii satis obtulit.

De officiorum vero distributione inter Patres, notandum est, quamvis intime consocientur et unam vere tantummodo mentem semper habeant, suum quemque tamen officium vel potius re-

gionem et partem suam habere, qua scribendo vel loquendo agatur de materiis quae saepe exactissimam minimarum circumstantiarum facti notitiam requirunt, qua agendo cum hospitibus et visitatoribus exterarum gentium: multi enim iam sunt non modo unius horae visitatores, sed hospites qui aliquot dies vel hebdomadas domi degunt, reservatis cubiculis, ut documenta omne genus socialia et moralia consulant (bibliothecarius accipit quadringenta periodica, quorum centum linguis extraneis exarata: ab eoque rursus componitur librorum collectio, quae tota, incendio Rhemensi (a. 1914) perierat. Praesertim sermones cum Nostris varii hospites habent ex aliis regionibus excepti; unde semper domi aliquis e nostris sacerdotibus adsit necesse est, qui eorum linguam satis calleat.

Edicere tandem liceat qua benevolentia gratoque animo magis magisque Actionem Popularem prosequantur non modo sacerdotes permulti, rurales et urbani, sed etiam Episcopi, quorum fiducia, seu verbis publice prolatis, seu privatis epistolis missis, penitus manifestatur. Quarum epistolarum opusculum quoddam componi potuit et olim ad privatum Nostrorum et familiarium usum editum est, sub titulo: " *Le St. Siège, l'Episcopat et l'Action Populaire; 1905-1912* „. Approbationes ibi legebantur, seu laudativa verba, centum quinquaginta octo virorum, ex quibus septuaginta septem Archiepiscoporum et Episcoporum et quinque Cardinalium ad Actionem Popularem scripta. Huic consensui fere unanimi Episcopatus Gallici, adiungere iuvat, gratae memoriae causa, haec verba quae A. R. P. Franciscus Wernz anno 1912 exeunte ad socios Actionis Popularis paterne scribebat:

" De cetero omnino probo, ut, innixi repetitis Leonis XIII et Pii X monitis (post quae nemini iam haerere fas est) necessitatem studendi questionibus socialibus propugnetis, omnesque, singulos pro suo gradu et vocatione sua, clerum maxime, impellatis ut manum operi admoveant. Quamvis enim indubium sit, proprium et praecipuum zeli apostolici studium versari circa informationem animarum in fide et virtutibus christianis; certum tamen etiam est, ut praedicti Pontifices monent, quod clerus et viri apostolici non possunt remanere indifferentes miseriis temporalibus populi, quin imo, exemplum Salvatoris imitantes, misereri debent super populum, eiusque necessitatibus pro viribus succurrere. Nec ad hoc sufficiunt opera caritatis; sed, cum iustitia erga operarios in praesenti ordine oeconomico saepius vio-

letur, ut aiunt iidem Pontifices, necesse est abusus et iniustitias denuntiare, leges quibus corrigantur promovere, aliaque vitae socialis subsidia procurare. Igitur has inconcussas veritates semper magis inculcare merito satagitis.

" Quod si vobis sic laborantibus difficultates, oppositiones, contradictiones obveniant, aut aliquando desit optatus hominum, etiam optimorum, favor, ne miremini, nec animum propterea despondeatis, aut tristitia afficiamini; sufficiat vobis a Superioribus vestris probari, et patienter, constanter, inconcusso animo in propositum perseverate, gaudentes quod digni habeamini pro veritate laborare et pati; securi aliunde, dum directiones Sedis Romanae fideliter sequimini, vos viam terere ab omni errore immunem ".

Hinc facile intelligitur ipsum Summum Pontificem Actioni Populari suam quoque approbationem, omni auctoritate maiorem, impertiisse. Cum audisset enim illam ex ruinis et incendio rursus non iam Rhemis, sed Lutetiae Parisiorum quasi novis incunabulis renasci et largioribus fundamentis restaurari, mense decembri 1918, ad eius directorem incitamentum explicitum scribendum curavit, atque ad haec 10.000 libellarum dono mittere dignatus est, cum " hodie magis quam quovis alio tempore omnium bonorum voluntate inter se conveniant et organice instruantur necesse sit ".

VI.

LITTERAE QUAEDAM OFFICIOSAE PATRIS NOSTRI AD ALIAS RELIGIOSORUM FAMILIAS

anno 1925.

I. — Ad Rev.^{mum} P. Franciscum Verdier, Congregationis Missionis Superiorem Generalem, ab eadem Congregatione condita tertio saeculo exeunte.

Mon Très Honoré Père,

Je viens de lire dans le dernier fascicule des " Acta Ap. Sedis „ paru le 2 avril, la lettre de Sa Sainteté à Votre Révérence ; j'ai appris par là que la si méritante Congrégation de la Mission est sur le point de célébrer l'anniversaire trois fois séculaire de sa fondation. C'est de tout cœur qu'au nom de la Compagnie de Jésus je m'associe à la sainte et légitime allégresse de la digne famille de S. Vincent de Paul. La charité chrétienne dont ce grand Saint, est un modèle sublime — pour ne pas dire l' idéal personnifié — devrait suffire à concilier à sa Congrégation l' affection de tous les fils de la S.te Eglise Catholique, de tous les disciples de Celui qui a fait de la charité le signe distinctif de ses fidèles. Mais à ce motif général s'ajoute encore la communauté de l' idéal auquel aspirent, pour lequel se dépensent et se sacrifient, souvent sur un même champ d'apostolat, les fils de S. Vincent et ceux de S. Ignace: la plus grandegloire de Dieu et le salut des âmes. C'est surtout dans les Missions lointaines, où resplendit mieux le caractère apostolique des deux Instituts, que se resserre cette union.

Il est donc bien juste que nous prenions une part intime à la fête où " la Mission „, chantant au Seigneur un hymne de reconnaissance, pourra avec une sainte complaisance évoquer les nombreuses et splendides gloires familiales des trois siècles écoulés. Et pour que notre participation à votre joie soit plus efficace, je tiens à offrir 300 Messes, célébrées par moi et par mes religieux, en action de grâces du glorieux passé de votre fervente Congrégation ainsi que pour sa prospérité future.

Votre Révérence me permettra en finissant de lui offrir mes félicitations à un titre tout personnel, car je suis heureux de rappeler les liens qui unissent à " la Mission „ ma propre famille, depuis le jour où mon aïeul, déjà promu au sacerdoce, choisit précisément l'Institut de St. Vincent, à Varsovie, pour y passer dans le recueillement les dernières années de sa vie et y mourir saintement.

Que Votre Révérence veuille bien agréer, avec l'assurance réitérée de mes prières, l'expression de ma profonde estime et de mon dévouement en N.-S.

Rome, le 15 avril 1925.

WLODIMIRE LEDÓCHOWSKI
Prép. Gén. d. l. C. d. J.

Responsum Rev.mi P. Francisci Verdier :

Congrégation de la Mission dite des Lazaristes, Maison-Mère
Paris, le 22 avril 1925.

Mon Très Révérend Père,

J'ai eu l'honneur de recevoir la lettre si empreinte de charité que vous avez bien voulu m'adresser à l'occasion du troisième centenaire de notre petite Compagnie.

J'ai été, avec tous mes Confrères, très sensible aux paroles et aux sentiments que vous nous exprimez. Je dois vous dire notre commune reconnaissance pour les prières que vous nous promettez et tout particulièrement pour les Messes nombreuses que vous ferez célébrer à nos intentions.

Il va de soi que nous aurons, mon Très Révérend Père, au cours de notre Triduum d'action de grâces, un souvenir spécial pour la noble Compagnie de Jésus et son digne Supérieur Général.

Ce fut pour notre province de Pologne, toujours chère au cœur de Saint Vincent, un grand honneur de recevoir à Varsovie votre aïeul. Elle n'a certes pas oublié l'édification qu'il lui donna par ses vertus et sa vie de recueillement.

Veuillez agréer, mon Très Révérend Père, avec l'assurance de ma profonde gratitude l'expression de mon entier dévouement en Notre Seigneur.

F. VERDIER
Sup. Général.

II. — Ad Rev.mum P. Philippum Caterini, Procuratorem Generalem Ordinis Praedicatorum, in morte Rev.mi P. Ludovici Theissling Magistri Generalis.

Roma, 4 maggio 1926.

Rev.mo Padre,

Dopo aver reso con intimo affetto gli ultimi onori al compianto veneratissimo P. Maestro Generale, assistendo ai suoi funerali con una rappresentanza della nostra Curia, sento il dovere di esprimere ancora una volta la parte vivissima che prendo alla perdita che il loro illustre Ordine ha fatto nel suo degno capo. Avendo avuto non di rado la fortuna di trattare con lui, ne ho sempre ammirato l'alta intelligenza, il fine giudizio, la grande rettitudine, la squisita carità; sicchè la sua scomparsa ha lasciato anche in me un senso di profonda mestizia e la sua memoria sarà sempre presso di me in perenne venerazione. Spero che l'ottimo Padre intercederà fin d'ora dal cielo anche per noi; se mai però quell'anima eletta avesse bisogno di aiuto, oltre i miei personali suffragi, ho offerto subito 300 Messe che ieri i miei Religiosi celebravano secondo le mie intenzioni.

Prego la P. V. Rev.ma di gradire questa nostra fraterna partecipazione al grave lutto che ha colpito la famiglia di S. Domenico; e coi sensi di profonda stima, raccomandandomi alle sue orazioni, sono della P. V. Rev.ma

dev.mo nel Signore:
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI.
Prep. Gen. d. C. d. G.

Responsum Rev.mi P. Philippi Caterini:

Roma, "Collegio Angelico,, 9 maggio 1925.

Rev. P. Generale,

Con animo commosso a nome dell'Ordine ringrazio la P. V. Rev.ma della fraterna partecipazione che Ella ha preso al grave lutto che ha colpito la nostra religiosa famiglia colla morte del suo capo, ed in modo speciale le son grato dei suffragi e delle

Messe che V. P. R.ma ha fatto celebrare per l'anima benedetta del nostro caro e compianto defunto.

Gradisca i miei rispettosi omaggi insieme a quelli della Curia Generalizia mentre passo a dichiararmi

Della P. V. Rev.ma

Umile Servo
P. F. M. Caterini O. P.
Proc. Gen.

III. — Ad Rev.^{mum} P. Octavium Gasparri, Procuratorem Generalem Sacerdotum a Sacro Corde Iesu, in morte Rev.^{mi} P. Leonis Dehon Fundatoris et Superioris Generalis.

Frascati, 16 agosto 1925.

Rev.mo Padre,

Apprendo ora dall' *Osservatore Romano*, la gravissima perdita che colpì in questi giorni codesta benemerita e fiorente Congregazione, la quale rimane priva non solo del suo capo, ma anche del suo Fondatore e Padre. Mi unisco con tutto il cuore, a nome pure di tutta la Compagnia di Gesù, al coro numeroso degli ammiratori del Padre e degli amici dei figli, e prendo viva parte al lutto doloroso.

Quantunque le virtù e i meriti del Rev. P. Dehon ci diano fondata speranza che il Signore abbia già coronato il Servo buono e fedele e l'abbia già introdotto negli eterni gaudi, offro 300 Messe, di quelle che i nostri Padri sogliono ogni settimana celebrare a mia intenzione, per il riposo di quell'anima eletta e per la sempre maggiore prosperità dell' Istituto che Dio per mezzo di lui si è degnato suscitare nella sua Chiesa.

Gradisca la P. V. Rev.ma questa fraterna partecipazione al loro dolore e voglia farsi interprete de' miei sentimenti verso tutta la Congregazione.

Con riverente ossequio mi professo della P. V. Rev.ma

dev.mo nel Signore
Wlodimiro Ledóchowski
Prep. Gen. d. C. d. G.

VII.

CAUSAE ET CULTUS SANCTORUM SOCIETATIS

ANNO 1925.

S. Petrus Canisius :

Recognitio canonica corporis (10 sept. 1924). — Anno superiore, ut meminimus (1), habita est Friburgi Helvetiorum recognitio canonica corporis Beati canonizandi. Cum nunc prae manibus habeamus documentum authenticum huius recognitionis, illud hic referimus :

In Dei Nomine, Amen.

Anno millesimo nongentesimo vigesimo quarto, die decimo Septembris praesente Rmo. ac Celmo. DD. Mario Besson, Episcopo Lausannensi et Genevensi, adstantibus Promotore Fidei, Pl. R. D. Marco Dalbard, Superiore Seminarii S. Caroli, et R. P. Aureliano Fajella S. I., Postulatore generali; testibus RR. DD. Ioseph Pasquier et Elia Morand, Professoribus in Collegio S. Michaelis, atque Rmo. D. Leone Esseiva, Praeposito ad Ecclesiam Collegialem Sancti Nicolai, et Rmo. D. Ludovico Ems, Vicario generali; adstantibus etiam duobus medicis D. Gustavo Clément et D. Alexandro Bonifazi, meque insimul Augusto Pahud, Cancellario episcopali, tanquam Notario ad actus deputato; peracta est recognitio corporis B. P. Petri Canisii, in sacello ipsi Beato dedicato in templo S. Michaelis, Friburgi Helv.

Iuramentum praestiterunt duo testes RR. DD. Pasquier et Morand, qui asserere debent sarcophagum, quod sub altare invenitur, continere ossa B. P. Canisii, et insuper, tacto Evangelio, duo medici.

Interrogatus primus testis respondet exuvias B. P. Canisii iacere sub altari, in sacello B. P. Canisii. Ipse hoc scit ab immemorabili quia plus quam triginta annis moratur in Collegio ad quod pertinet hoc sacellum. Alter testis idem testificatur et hoc scit ab immemorabili quia inde viginti quatuor annis moratur in eodem Collegio.

Educitur sarcophagum super quod invenitur charta in qua legitur :

Prière au B. P. Canisius.

Deficientibus clavibus, abrumpuntur cardines.

Intacta inveniuntur sigilla Rmi. ac Celmi. DD. Stephani Marilley, Episcopi Lausannensis, in cera hispanica rubri coloris impressa.

Episcopus dicit excommunicationem Summo Pontifici reservatam incurrere illum qui aliquod aufert ex ossibus vel addit sarcophago.

---

(1) V. supra pag. 239.

Aperitur sarcophagum. Educuntur caput et ossa simul colligata et optime ornata.

Inveniuntur:

1. Caput circundatum pretiosa corona. Nihil carnis adest nec intra nec circa ipsum, nisi circa dentes qui numerantur sex in mandibula superiori et quatuor in inferiori.

2. Scapula dextra integra.

3. Humerus sinister, dimidiatus in capite.

4. Os coxae dextrum integrum mensuratum 15 cm. a spina pubis ad spinam superiorem anteriorem et 13 cm. a spina superiori anteriori ad spinam posteriorem. Deficit particula pubis.

5. Os iliacun sinistrum. Deficit pars anterior ossis istius; deficit etiam pars maior ossis pubis et ossis ischii.

6-7. Ambo femora integra, mensurata $44^1/_2$ cm. a sumitate trochanterii maioris ad condylum lateralem.

8-9. Ambae tibiae mensuratae $36^1/_2$ cm. in latere externo.

10. Fibula (perone) una integra.

11. Dimidia pars alterius fibulae.

12. Dimidia pars superior ossis ulnae (cubitus), deficiente parte olecranon.

Episcopus sumit sibi scapulam 2, os coxae 4, os iliacum sinistrum 5, et partem ulnae 12.

Postulator vero sumit partem fibulae 11.

Quatuor sorores S. Ursulae manent in sacello, omnibus aliis abeuntibus praeter R. D. Morand, ut exuvias ornarent, emisso iuramento coram Promotore Fidei se nihil accepturas ex ossibus neque adiuncturas sarcophago.

Post meridiem, apponuntur sigilla Rmi. ac Celmi. DD. Episcopi Dioecesis.

Si qui autem defectus in toto decursu huius recognitionis irrepserint, Celsissimus Episcopus vult et intendit sanare et sanat.

(sign.) L. Ems, Vic. gen., testis.
Leo Esseiva, Praepositus, testis.
Marcus Dalbard, Promotor fidei.
Dr. Gustavus Clément, medicus.
Dr. Alexander Bonifazi, medicus.
Aug. Pahud, Cancell., Notarius.

(L. ✠ S.)

3 febr. 1925. — Congregatio Praeparatoria super miraculis.

24 mart. — Congregatio Generalis de iisdem miraculis coram Summo Pontifice, in qua, ex peculiari dispensatione, etiam de "tuto" actum est.

29 mart. — Coram Summo Pontifice leguntur decreta de miraculis et de "tuto„ Beatissimus Pater, devotae Patris No-

stris orationi respondens, Beati Petri Canisii merita diserto eloquio dilaudat (1).

30 mart. — Consistorium secretum pro futura canonizatione (2).

2 apr. — Consistorium publicum pro solemni peroratione canonizationis (3).

12 apr. — Litterae postulatoriae Patris Nostri ad Summum Pontificem ut B. Petro Canisio mox canonizando simul decernatur titulus Doctoris Ecclesiae (4). — Plurimae aliae Litterae postulatoriae circa hoc tempus afferuntur Summo Pontifici a Cardinalibus, Episcopis, aliisque clarissimis viris et catholicis Universitatibus datae (5).

22 apr. — Consistorium semipublicum ad diem canonizationis indicendum (6).

19 maii. — In Congregatione ordinaria S. C. Rituum cum felici exitu actum est de titulo Doctoris Ecclesiae B. Petro Canisio in ipso canonizationis ritu decernendo (7).

21 maii. — Canonizatio sollemnis et titulus Doctoris (8).

22-24 maii. — Triduanae supplicationes in templo SS. Nominis Iesu (9).

13 iun. — Oblatio Reliquiarum Summo Pontifici (10).

22 iul. — Festum S. Petri Canisii ad ritum duplicem secundae classis pro universa Societate evehitur (11).

12 aug. — Approbantur Missa propria, Officium et Elogium (12).

Festa ubique paracta. — Praeter ea quae supra breviter retulimus (13), in tota Societate magna cum laetitia haec Canisiana

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1925, pp. 176-194.
(2) *Ibid.*, pp. 195-196.
(3) *Ibid.*, pp. 196-198.
(4) V. supra, pp. 360–363.
(5) V. supra, pp. 363–389.
(6) *Acta Rom.*, vol. V, 1925, pp. 198-200.
(7) Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1925, pag. 269.
(8) *Acta Rom.*, vol. V, 1925, pp. 220-226 - V. etiam supra, pp. 283-287, 323-370.
(9) V. supra, pp. 287-288.
(10) V. supra, pag. 289.
(11) *Acta Rom.*, vol. V., 1925, pp. 227-228.
(12) *Ibid.*, pp. 228-235.
(13) V. supra, pp. 288-289, 313-314.

festa celebrata sunt. Sed quoniam ad annum quoque proximum se protulerunt, in proximo fasciculo quae peculiari memoria digna videbuntur simul colligemus.

BB. Martyres Canadenses:

31 mart. 1925. — Congregatio Praeparatoria super martyrio et causa martyrii.

12 maii. — Congregatio Generalis coram Summo Pontifice super martyrio et causa martyrii, in qua, ex peculiari dispensatione, actum est etiam de "tuto".

2 iun. — Coram Summo Pontifice promulgantur decreta de martyrio et de "tuto„ (1).

21 iun. — Beati renuntiantur (2).

22-24 iun. — Triduanae festivitates in templo SS. Nominis Iesu (3).

24 nov. — Reassumptio causae in ordinem ad canonizationem: iam enim feruntur miracula quaedam impetrata esse post eorum beatificationem (4).

Festa in Canada et alibi paracta. — V. supra, pp. 311-312. — Plura de his festis dicemus in proximo fasciculo, cum ea ad annum quoque 1926 producta sint.

B. Robertus Bellarmino:

Reassumpta est causa in ordinem ad canonizationem (*24 nov. 1925*) et parantur processus apostolici de miraculis quae eo intercedente post beatificationem patrata feruntur.

VV. Martyres Angli:

Continuantur processus apostolici de martyrio et causa martyrii. Vicepostulator huius causae, P. Carolus Newdigate, cum P. Postulatore generali et cum S. Rituum Congregatione acturus, Romae aliquod tempus commoratus est.

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1925, pp. 236-241.

(2) *Ibid.*, pp. 242-248. - V. etiam supra, pp. 290-294.

(3) V. supra, pp. 294-295.

(4) V. supra, pag. 312.

VV. MARTYRES ALBENACENSES:

23 iun. 1925. — Congregatio ordinaria particularis sacrorum Rituum agit de validitate processuum super martyrio Venerabilium Servorum Dei Iacobi Salesii et Gulielmi Saltamochii, Martyrum Albenacensium, quorum causa feliciter progressura speratur.

S. D. P. PAULUS GINHAC:

23 iun. 1925. — In Congregatione ordinaria particulari sacrorum Rituum actum est de non cultu, id est num ad mentem decretorum Urbani VIII vetitus cultus Servo Dei unquam tributus sit; cum autem rite constiterit non adfuisse, mox decretum hac de re conficitur ut ad ulteriora procedi possit.

Interea in Gallia processus apostolici de virtutibus in specie instrui coepti sunt, cum bona spe felicis exitus.

S. D. P. FRANCISCUS GALLUZZI:

23 dec. 1925. — In templo S. Ignatii Romae habita est recognitio corporis huius Servi Dei, quod, nova arca inclusum, ab antiquo hypogaeo, in quo olim sepeliebantur Nostri, ad sacellum eiusdem templi SS. Francisco Xaverio et Francisco Borgia dicatum translatum est et a cornu epistolae in muro conditum, hac apposita inscriptione:

" Ossa et cineres - Servi Dei - Francisci Mariae Galluzzi - Sacerdotis prof. e Soc. Iesu. - Obdormivit in Domino - d. VII Sept. MDCCXXXI - Vir Divinae Gloriae - et salutis animarum studiosissimus „.

Huic recognitioni et translationi, aderant RR. DD. Dominicus Mannaioli, Episcopus tit. Pomariensis, aliique nonnulli officiales ab Emo. Cardinali Urbis Vicario deputati, et P. Iosephus Corsi (Prov. Rom.), quo curante haec pia caeremonia parata et peracta est. — Pauca Servi Dei ossa, quae integra manebant, anno 1853 in vase vitreo collecta fuerant, et nunc quoque eodem modo, sed novo vase adhibito, servata sunt; ex reliquo corpore non supersunt nisi cineres et parva ossium fragmenta cum terra et ligneis frustulis permixta.

NUNTII BREVIORES
ET STATISTICAE

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

I.

CHRONICON CURIAE SOCIETATIS

ANNO 1925.

4 ian. — R. P. Petrus Geny, Praepositus Provinciae Campaniae, cum Patre Nostro de negotiis acturus advenit et octo dies nobiscum commoratur.

5 ian. — Summus Pontifex ad Se vocat eos qui Expositionem Missionariam Vaticanam pararunt, inter quos nonnullos etiam ex Curia nostra, eosque benignissime alloquitur.

6 ian. — P. Aloisius Le Grand, quem ad curandam partem Kwangensem in Expositione Vaticana superiore anno huc advenisse diximus (1), in suam Provinciam Belgicam redit.

16 ian. — Advenit R. P. Ioannes Bapt. Battisti, Provinciae Venetae Praepositus, et tres dies ob negotia apud nos versatur.

28 ian. — Hospitio recipitur P. Victor Kolb (Prov. Austr.), a Patre Nostro Romam ad agenda quaedam negotia vocatus, post hebdomadam in Austriam reversurus.

29 ian. — Pater Noster ad colloquium vocat Praepositum Provinciae Romanae et Superiores omnium nostrarum domorum Romae exsistentium, quo melius de uniformitate regiminis et de regulari observantia promovenda cum ipsis agat.

30 ian. — Curiae adnumeratur P. Iulianus Sautu (Prov. Castell.) regestis epistolarum Praepositorum Generalium perficiendis addictus.

2 febr. — In templo SS. Nominis Iesu P. Iosephus Drexel Germaniae Substitutus, P. Laurentius O' Keeffe Praesidis Secretariatus Congregationum Marianarum Adiutor, et Fr. Coad. Antonius Arribas, simul cum aliis ex variis Nostris domibus, ultima vota ad sepulcrum S. P. Ignatii nuncupant.

3 febr. — RR. DD. Albanum Goodier S. I. (Prov. Angl.), Archiepiscopum Bombayensem, hospitem habemus usque ad diem 13 huius mensis.

5 febr. — Advenit P. Marius Grimaldi (Prov. Taur.) Expositioni Missionariae Vaticanae addictus. — Proximis diebus ad eundem finem

(1) V. supra, pag. 235 (22 nov.).

adveniunt et Curiae nostrae applicatur etiam P. Albertus Rembold (Prov. Germ. Inf.), P. Henricus Dubois (Prov. Camp.), et quatuor Fratres Coadiutores ex Provinciis Sicula et Veneta (1).

11 febr. — P. Ioannes Bapt. Gossellin, Substitutus Galliae, qui die 2 februarii ob aegritudinem ad gradum promoveri non potuit, hodierna B. M. V. Immaculatae de Lourdes festivitate in sacello domestico sollemnem 4 votorum professionem coram Patre Nostro emittit.

13 febr. — Londini, in urbe Angliae principe, pie in Domino obit P. Gulielmus Mac Mahon (Prov. Angl.), aetatis anno 49, Societatis 31. — Cum, sex annos Substituti munere egregie functus nonnisi ante decem menses Curiam nostram ob fractas vires reliquerit (2) liceat hic de carissimo Patre, ut de iis qui in Curia decedunt fieri consuevit, brevem necrologiam inserere.

P. Gulielmus Mac Mahon, ex Hibernia oriundus, Birxenhead prope Liserpalum (Liverpool) die 27 aprilis 1876 in Anglia natus est. Annis 1877-1894 in Collegio nostro Saxosylvano (Stonyhurst) institutus, eo tempore adeo aliis virtute praeluxit ut pluribus condiscipulis sociatus anno 1894 ad Societatem gradum fecerit. In tirocinio solida ac tenera pietate, sancta hilaritate, virilique indole spectandus fuit; quas virtutes iunior, philosophus, magister perpetuo coluit; nec minus cum triennium in Universitate Oxoniensi historiae studio impenderet, donec anno 1910 sacerdotio muneratus, ac denique, omnibus probationibus perfunctus, anno 1914 in Collegio Stamford, Londini, quatuor sollemnia vota est professus.

Ibidem studiorum praefecturam suscepit, sed numquam firma utens valetudine, munus, quod diligentissime obibat, post biennium relinquere coactus est. Tum P. Ioanni H. Pollen Prov. Angliae historico aptus et alacer socius evasit. In hoc munere annum transierat, cum ecce inopinato in Curiam, Secretarii Substitutus pro Assistentia Angliae, vocatur. Mense octobri 1917, Zizers in Helvetia, ubi tum Curia degebat, novum munus auspicatus est. Locus ad recuperandam valetudinem non parum profuit, ita ut suas partes (laboriosas eas quidem, nam tunc etiam pro Assistentia Americae Substitutum interim agere debebat) integre et alacriter explere posset.

Post reditum curiae in Urbem coepit denuo minus valere. Ipse autem de hac re nunquam est conquestus, sed suo muneri vacabat, quin et quibusdam ministeriis in collegiis Anglorum, nihil sibi parcens, operam dabat. Initio anni 1924 valetudo concidit. Ad eam reficiendam missus est *Mentone* ad Varum: ubi tantum comparavit virium quantum sufficeret ad iter in Angliam, non sine spe salutis, suscipiendum. Sed contrarium, Deo ita disponente, nactus est. Vix eo pervenerat, cum praegravari se sentiens, finem vitae, quem iamdiu placide opperiebatur, piissime ac religiose, Sacramentis rite munitus imposuit die 13 februarii 1925, in nosocomio apud Hampstead.

(1) Cfr. supra, pag. 301.
(2) V. supra, pag. 233 (7 apr.).

Vir fuit constans in adversis, indole suavis et hilarus, prudens ac maturus; animarum adeo studiosus ut, supra officia quae diximus, proximis plurimis, suae gentis praecipue, consilio, exomologesi, quacumque demum ope, praesto esset: in quibus omnibus propter valetudinem et sui oblivionem moderandus fuit. Apud omnes qui eum moverunt eius memoria in in benedictione. — R. I. P.

14 febr. — P. Iulianus Sautu, quem nuper Curiae adnumeratum esse retulimus (1), quinquagesimum ab inita Societate annum, omnibus gratulantibus, commemorat.

19 febr. — Summus Pontifex partem Expositionis Vaticanae, quae « statisticas » Missionum exhibet, adstantibus quoque cum P. Procuratore generali nonnullis e nostra Curia, hodie invisit et laudat (2).

20 febr. — P. Iosephus Algué (Prov. Arag.), qui res Missionis Philippinae in Expositione Vaticana curaverat (3), cum Fr. Martino Coronas eius adiutore in suam Provinciam redit.

22 febr. — P. Edelbertus Blatter (Prov. Germ. Sup.), ex Missione Bombayensi-Poonensi in Europam vocatus, Patrem Nostrum aditurus huc advenit et usque ad 5 martii nobiscum versatur.

27 febr. — Hospitio aliquot dies recipimus P. Ludovicum Koch (Prov. Germ. Sup.), ex Missione Brasiliae Meridionalis in Provinciam suam rediturum.

10 mart. — P. Antonius Stravino, oeconomi generalis Adintor, Missionis Albaniensis (Prov. Ven.) Visitator renuntiatus, hodie hinc proficiscitur.

15 mart. — Redit R. P. Norbertus de Boynes, Galliae Assistens, in Missionibus Provinciae Lugdunensis, ut anno superiore commemoravimus (4), Visitatoris munere nuper functus.

26 mart. — In suam Franciae Provinciam redit P. Petrus de Champs de St.-Léger, qui Substitutum Secretarii pro Assistentia Galliae diu egit (5). — Ad negotia quaedam cum Patre Nostro agenda vocatus adest P. Ioannes Caye, Praepositi Prov. Campaniae Socius, post hebdomadam in Galliam reversurus.

30 mart. — Ad valetudinem citius et plenius confirmandam, medico suadente, in Siciliam se confert R. P. Franciscus de Paula Nalbone, Italiae Assistens.

14 apr. — RR. DD. Ludovicus Van Hoeck S. I. (Prov. Belg.), Patnensis Episcopus in Indiis, visitationem ad limina Apostolorum peracturus advenit et nobiscum tres hedomadas commoratur.

(1) V. supra, pag. 449 (30 ian.).
(2) Cfr. supra, pp. 299-300.
(3) V. supra, pag. 235 (17 nov.).
(4) V. supra, pag. 235 (21 oct.).
(5) V. supra, pag. 235 (6 oct.).

16 apr. — P. Ioannes Bapt. Kipp (Prov. Germ. Inf.), Vicerector Collegii Kaunensis in Lithuania nuper inchoati, aliquot dies hospitio recipitur.

29 apr. — Pater Noster, quo maiore cum quiete urgentioribus negotiis parandis incumbat, in domum Aricinam (Prov. Rom.) quatuor dies primum, et deinde iterum a die 8 ad 13 maii secedit.

2 maii. — P. Franciscus Xav. Calcagno, qui Instituto recognoscendo iamdiu adlaborabat, in suam Taurinensem Provinciam revertitur.

4 maii. — Pater Noster cum PP. Assistentibus et Procuratore generali in templo S. Mariae supra Minervam hodie mane interfuit supremis obsequiis exhibitis Rmo. P. Ludovico Theissling, Ordinis Praedicatorum Magistro Generali, nuper piissime vita functo, insigni Societatis amico (1).

6 maii. — Missionis Albaniensis visitatione peracta, domum redit P. Antonius Stravino, Oeconomi generalis Adiutor.

15 maii. — RR. DD. Tiburtius Franciscus Roche S. I. (Prov. Tolos.), Episcopus Tuticorinensis in Indiis, limina Apostolorum visitaturus adest et nobiscum usque ad diem 10 iunii versatur.

16 maii. — Romam adventare incipiunt quidam e Nostris quibus peculiares ob causas concessum est ut canonizationi B. Petri Canisii mox celebrandae intersint (2) : ex iis Curiae hospites sunt RR. PP. Praepositi Provinciales Bernardus Bley (Germ. Inf.), Theobaldus Fritz (Germ. Sup.), Franciscus Sal. Hatheyer (Austr.), et P. Constantinus Kempf (Prov. Germ. Inf.), qui omnes diebus 26 et 27 huius mensis ad suas quisque Provincias redeunt.

21 maii. — Ingenti cum animi gaudio, praeeunte Patre Nostro, in Basilica Vaticana Petrum Canisium Sanctum simul et Ecclesiae Doctorem renuntiatum salutamus.

23 maii. — Ad limina Apostolorum venit et nobiscum aliquamdiu manet RR. DD. Iosephus Clos S. I. (Prov. Arag.), Episcopus Zamboangensis in Missione Philippina : eum comitantur P. Emmanuel M. Sauras et Fr. Coad. Ioannes Novellas ex eadem Provincia et Missione.

26 maii. — R. P. Rudolphus van Oppenraaij, Germaniae Assistens, Viceprovinciam Iugoslavicam rapido cursu invisurus, hodie iter arripit, et usque ad diem 25 iunii Roma abest (3).

27 maii. — P. Bernardus Arens (Prov. Germ. Inf.), ad generales statisticas in Expositione Missionaria Vaticana perficiendas et illustrandas vocatus, per mensem nobiscum degit.

30 maii. — RR. DD. Ferdinandus Périer S. I. (Prov. Belg.), Calcuttensis Archiepiscopus, Apostolorum limina visitaturus advenit, post

(1) Cfr. supra, pag. 439.
(2) V. supra, pag. 282.
(3) V. supra, pag. 319.

hebdomadam in Belgium indeque in suam Missionem reversurus. — Item advenit R. P. Ioannes Costa de Beauregard, Lugdunensis Provinciae Praepositus, quem usque ad diem 9 iunii hospitem habebimus.

4 iun. — R. P. Franciscum de Paula Nalbone, Italiae Assistentem et domus nostrae Vicesuperiorem, ex Sicilia reducem, bene valentem laeti excipimus.

8 iun. — R. P. Iaphet St. Jollain, Neapolitanae Provinciae Praepositus, ob negotia tres dies nobiscum versatur.

13 iun. — R. P. Felix Mollat, Provinciae Franciae Praepositus, hospitio recipitur, post beatificationem Martyrum Canadensium in Galliam rediturus.

17 iun. — P. Iacobus Dugas, Beatificationi Martyrum Canadensium nomine sui Praepositi Provincialis (Prov. Can. Inf.) adfuturus, hodie huc advenit et duas hebdomadas in Curia degit (1).

21 iun. — Basilicam Vaticanam novos Beatos Martyres Canadenses veneraturi laeti adimus.

24 iun. — P. Hermannus Walmesley, ante aliquot dies lecto decumbere coactus, morientium Sacramentis hodie rite munitur, supremo agoni proximus omnino visus; sed, Deo favente, paullatim convalescens, post mensem communia exercitia repetere coepit.

28 iun. — RR. DD. Aloisius Xav. Muñoz S. I. (Prov. Castell.), Archiepiscopus Guatimalensis, qui in Collegio Pio Latino Americano in Urbe ad tempus commoratur, apud nos hodie divertit.

4 iul. — Item hodie RR. DD. Vincentius Huarte S. I. (Prov. Castell.), Episcopus tit. Resainensis et Vicarius Apostolicus de Wuhu in Sinis, Universitatis Gregorianae his diebus hospes optatissimus.

5 iul. — Huc advenit R. P. Iaphet St. Jollain, Neapolitanae Provinciae Praepositus, ad quaedam negotia agenda, post paucos dies discessurus.

8 iul. — Ex Universitate Gregoriana, ubi hospitio ad breve tempus recipitur, nobiscum hodie versatur RR. DD. Antoninus Zecchini S. I. (Prov. Ven.), Archiepiscopus tit. Myrensis et in Lithuania ac regione Baltica Delegatus Apostolicus.

15 iul. — P. Iosephus Boubée (Prov. Tolos.), Apostolatus Orationis Moderator generalis delegatus, Patrem Nostrum adit et aliquot dies nobiscum moratur.

17 iul. — P. Albertus Rembold, qui Expositioni Missionariae Vaticanae addictus erat (2), in suam Germaniae Inferioris Provinciam revertit.

22 iul. — RR. DD. Gulielmus O' Hare S. I. (Prov. Maryl. - N. E.),

(1) V. supra, pp. 291 et 294.
(2) V. supra, pag. 450 (5 feb.).

Episcopus tit. Maximopolitanus et Vicarius Apostolicus Iamaicensis, qui aliquot dies Instituti Biblici hospes in Urbe commoratur, hodie apud nos divertit.

23 iul. — P. Aegidius Battiston (Prov. Ven.) in Curiam cooptatur, Substitutum Secretarii pro Assistentia Italiae acturus.

31 iul. — P. Hermannus Hoffmann (Prov. Germ. Inf.), Missionis Iaponicae Superior, Urbem petit cum Patre Nostro de sua Missione acturus, et post hebdomadam in Germaniam, indeque in Iaponiam reversurus.

3 aug. — In villam Tusculanam abimus: Pater Noster, ob complures peregrinorum turmas a Nostris quoque in Urbem ductas, saepe hoc tempore Romam petit.

10 aug. — P. Abel Lombardini, Italiae Substituti munere functus, in suam Venetam Provinciam redit.

15 aug. — Ultima Coadiutorum temporalium vota nuncupat Fr. Franciscus Gorostiza.

17 aug. — Hospitio ad diem recipiuntur PP. Petrus Tacchi Venturi (Prov. Rom.) et Engelbertus Jurić (V. Prov. Iugoslav.).

31 aug. — P. Ioannes Bapt. Gossellin, Galliae Substitutus, improvisa quadam cordis defatigatione morti proximus factus, Extrema Unctione munitur, sed Fratris nostri infirmarii peritia, Deo favente, eum ab imminenti periculo feliciter liberavit.

10 sept. — Romam iterum advenit ex Anglia RR. DD. Albanus Goodier S. I., Archiepiscopus Bombayensis, usque ad diem 2 octobris in Curia mansurus.

14 sept. — Hospitio Romae per hebdomadam recipitur P. Marcellus Desforges (Prov. Franc.), Superior Residentiae Parisiensis.

15 sept. — In sacello Nobilium apud templum SS. Nominis Iesu initium fit Congressui Directorum Nuntiorum SS. Cordis, cui Pater Noster semper adfuit (1).

19-27 sept. — Exercitia Spiritualia in villa Tusculana peragimus, post quae in Urbem redimus.

26 sept. — Romam advenit et Curiae adnumeratur P. Aemilius Muller (Prov. Can. Inf.), Subsecretarii in redigendis "Memorabilibus S. I.", Adiutor nominatus.

30 sept. — Adventare incipiunt Patres a Provinciarum Praepositis designati, ut Congressui Missionum mox habendo intersint (2).

1 oct. — RR. DD. Antonius Schuler S. I. (Prov. Neo Aurel.), Elpasensis Episcopus, limina Apostolorum visitaturus advenit et decem dies nobiscum degit.

(1) V. supra, pp. 419-426.
(2) V. supra, pp. 427-429.

2 oct. — P. Iulianus Cassiani Ingoni (Prov. Ven.), documenta quaedam inspecturus, tres hebdomadas in Curia versatur.

3 oct. — P. Ioannes Coyne (Prov. Hibern.) in Curiam cooptatur, Substituti Secretarii munere pro Assistentia Angliae functurus; nam P. Hermannus Haeck deinceps Adiutor erit Secretarii pro Missionibus.

5-9 oct. — Congressus Missionum (1).

5 oct. — RR. DD. Iosephus Murphy S. I. (Prov. Missour.), Episcopus tit. Birthensis et Vicarius Apostolicus Hondurensis, qui his diebus in Instituto Biblico hospes degit, hodie apud nos divertit.

6 oct. — RR. DD. Raphael Crimont S. I. (Prov. Calif.), Episcopus tit. Ammaederensis et Vicarius Apostolicus Alaskae, limina Apostolorum invisurus advenit et viginti dies nobiscum commoratur.

10 oct. — Expleto Congressu Missionum, paullatim discedunt Patres; sed P. Georgius Schurhammer (Prov. Germ. Sup.) duos fere menses nobiscum manet ad suum de S. Francisco Xaverio opus perficiendum.

14 oct. — Summus Pontifex per Cardinalem Secretarii Status cruentam mortem P. Pauli Geny, nudiustertius a quodam insano milite pugione transfossi, Patri Nostro et Societati condolet (2); eidem Patri Geny hodie in templo S. Ignatii parentatum est, adstantibus quoque Patre Nostro et Assistentibus aliisque ex Curia non paucis.

15 oct. — P. Adalbertus Bangha, Praeses Secretariatus Congregationum Marianarum, quamquam Curiae applicatus manet, deinceps tamen in Collegio Scriptorum ephemeris "Civiltà Cattolica", degit. — Ad negotia quaedam agenda advenit P. Iosephus Stier, Provinciae Germaniae Superiori Procurator, post quinque dies discessurus.

19 oct. — RR. DD. Carolus Givelet S. I. (Prov. Camp.), Episcopus tit. Gindarensis et Vicarius Apostolicus Fianarantsoae, ad limina Apostolorum visitanda advenit et nobiscum usque ad 3 novembris versatur.

19 oct. — P. Aemilius Villaret (Prov. Camp.), Substituti Secretarii munere pro Assistentia Galliae, functurus Curiae nostrae adiungitur.

24 oct. — P. Arthurus Codina (Prov. Arag.), qui iamdiu novae Constitutionum editioni parandae pro commentariis "Monumenta historica S. I.", adlaborat ex Collegio Pio Latino Americano quotidie ad nostrum archivum investigandum huc adventans, hodie nobiscum penitus degere coepit.

25 oct. — Tertio ad nos venit RR. DD. Albanum Goodier post aliquot dies in Angliam iterum reversurus.

28 oct. — R. P. Iosephus Demaux-Lagrange, Tolosanae Provin-

(1) V. supra, pp. 427–429.

(2) *Acta Rom.*, vol. V. 1925, pag. 269.

ciae Praepositus, Patrem Nostrum adit et decem dies nobiscum commoratur.

1 nov. — Hospitio duas hebdomadas recipitur P. Iosephus de Tonquédec (Prov. Franc.).

3 nov. — P. Ioannes Bapt. Gossellin, cum ob valetudinem parum firmam Substitutum Galliae diutius agere haud facile possit, in suam Campaniae Provinciam redit.

4 nov. — Ad limina Apostolorum invisenda adest RR. DD. Henricus Lécroart, Episcopus tit. Anchialensis et Vicarius Apostolicus de Sien-hsien, quem decem dies hospitem habemus.

26 nov. — R. P. Henricus Carvajal, Societatis Secretarius, Provinciae Baeticae Visitator renuntiatus, in Hispaniam proficiscitur. Eo absente Vicesecretarium aget P. Hilarius Azzolini, Societatis Subsecretarius.

8 dec. — R. P. Marcellus Renaud (Prov. Mex.) cum socio P. Henrico Tavernier (Prov. Mex.) in Urbem advenit et aliquot menses in Curia deget, de visitatione apostolica complurium Brasiliae dioecesium a se peracta ad Sanctam Sedem relaturus.

8 dec. — R. P. Ferdinandus Willaert, Provinciae Belgicae Praepositus, mox ad Indicas quasdam Missiones Visitator mittendus, Patrem Nostrum adit, post aliquot dies profecturus.

18 dec. — Adveniunt R. P. Adalbertus Csavossy, Hungariae Provinciae Praepositus, et P. Franciscus Klene, Socius Praepositi Provinciae Neerlandicae, cum Patre Nostro de negotiis acturi, alter usque ad diem 26 decembris, alter usque ad diem 4 proximi mensis ianuarii.

20 dec. — P. Iosephus Verschueren (Prov. Belg.), ad chartam geographicam omnium nostrarum Missionum parandam vocatus, hodie advenit.

21 dec. — P. Carolus Newdigate (Prov. Angl.) aliquot hebdomadas nobiscum commoratur, ut causam Venerabilium Martyrum Anglicorum, de qua curam habet, efficacius promoveat.

II.

CATALOGUS SOCIORUM ET OFFICIORUM CURIAE SOCIETATIS

MENSE NOVEMBRI 1925.

A. R. N. P.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITUS GENERALIS

A DIE XI FEBRUARII MCMXV

Via S. Nicola da Tolentino, 8 — Roma, 30.
(Pro telegram.: Gisa. Roma).

P. Franciscus de Paula Nalbone, *Assist. Ital., Vicesup. dom.* . . . . Prov. Sic.
P. Rudolphus van Oppenraaij, *Assist. Germ. Admon., Conf. dom.* . . . . ,, Neerl.
P. Norbertus de Boynes, *Assist. Gall., Praef. valet., Conf. dom.* . . . . ,, Franc.
P. Iosephus Barrachina, *Assist. Hisp., Praef. spir., Conf. dom.* . . . . ,, Arag.
P. Iosephus Welsby, *Assist. Ang., Conf. dom.* . ,, Angl.
P. Aemilius Mattern, *Assist. Amer., Conf. dom.* . ,, Neo-Aurel.
P. Henricus Carvajal, *Secr. Soc., Cons. dom. an. 5.* ,, Leg.
P. Petrus Boetto, *Proc. Gen., Conf. dom., Cons. dom. an. 3* . . . . ,, Taur.
P. Alfredus Maertens, *Oecon. Gen., Conf. dom.* . ,, Belg.
P. Alexander Ziemski, *Min., Proc. Adiut. Secr. Soc., Praef. sac. dom., Cons. dom. an. 2* . ,, Pol.
P. Azzolini Hilarius, *Subsecr. Soc., Cur. Act. Rom. et Memorab. S. I., Praef. lect. ad mens* . . ,, Ven.
P. Bangha Adalbertus, *Praes. Secretariat. Congr. Mar. (Via di Ripetta, 246, Roma, 9)* . . ,, Hung.
P. Basterra Petrus, *Cons. aedilic.* . . . . . ,, Cast.
P. Battiston Aegidius, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Ital., Expl. med. et catech. FF. CC.* . . ,, Ven.
P. Ciaurriz Marius, *Subst. Secr., Soc. pro Assist. Hisp.* . . . . ,, Cast.

P. Coemans Augustus, *Parat edit. Inst. recogn.*	Prov.	Belg.
P. Coyne Ioannes, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Angl. Praef. bibl.*	,,	Hib.
P. Donnelly Thomas, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Amer.*	,,	Missour.
P. Drexel Iosephus, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Germ.*	,,	Austr.
P. Fajella Aurelianus, *Postul. gen. caus. NN. VV. et BB. (Piazza del Gesù, 45, Roma 17).*	,,	Neap.
P. Goetstouwers Ioannes B., *Archiv.*	,,	Belg.
P. Goulet Eduardus, *Secr. pro Mission*	,,	Can. Inf.
P. Haeck Hermannus, *Adiut. Secr. pro Mission.*	,,	Belg.
P. Kleiser Alphonsus, *Adiut. Secr. Soc. (Exaten bij Baexem, L., Neerlandia)*	,,	Germ. Sup.
P. Muller Aemilius, *Adiut. Cur. Memorab. S. I., Adiut. Praef. bibl.*	,,	Can. Inf.
P. O' Keeffe Laurentius, *Adiut. Praes. Secretariat. Congr. Mar.*	,,	Calif.
P. Palermo Lazzarini Dominicus M., *Rev. gen. libr. (in Univ. Greg., via del Seminario, 120, Roma, 19)*	,,	Rom.
P. del Portillo Henricus, *Rev. gen. libr.*	,,	Tolet.
P. Sautu Iulianus, *Parat regesta*	,,	Cast.
P. Stravino Antonius, *Adiut. Oecon. gen., Praes. coll. cas., Cons. dom. an. 2*	,,	Neap.
P. Villaret Aemilius, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Gall.*	,,	Camp.
P. Walmesley Hermannus, *Conf. dom. et in t. SS. Nom. Iesu*	,,	Angl.

COADIUTORES

Amiano Felix, *Adiut. aedit., Ad dom., Soc. exeunt.*	Prov.	Cast.
Arribas Antonius, *Soc. Postul. gen., Pict., Ad dom.*	,,	Arag.
Baguñá Narcissus, *Aman., Ian. 2 Ad dom., Soc. exeunt*	,,	Arag.
Banquells Ignatius, *Soc. 1 P. Gen., Aedit., Excit. 1, Wis. mat. et noct.*	,,	Arag.
Barlassina Ioannes B., *Sart., Cust. vest. et lint., Tons., Ad dom. Soc. exeunt*	,,	Ven.
Beckmann Godefridus, *Soc. Adiut. Secr. Soc. (Exaten etc.)*	,,	Germ. Inf.
Bellon Victor, *Aman., Ad dom.*	,,	Lugd.
Del Vecchio Vincentius, *Infirm. Aman., Ad dom.*	,,	Rom.

Gorostiza Franciscus, *Cust. tricl., Ad dom.* . .	Prov.	Cast.
Herrero Aemilius, *Soc. 2 P. Gen., Aman., Ad. dom.*	,,	Leg.
Lampe Maximilianus, *Aman., Soc. Praef. bibl., Ad dom., Soc. exeunt*	,,	Neerl.
Luján Salvator, *Soc. 2 Oecon. gen., Ad dom* . .	,,	Tolet.
Morant Iosephus, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* .	,,	Arag.
Oteiza Esdras, *Aman., Adiut. infirm., Comp. mss. et libr., Adiut. tons., Ad dom., Soc. exeunt.* .	,,	Cast.
Otrebski Eugenius, *Soc. Proc. gen., Aman., Ad dom.*	,,	Pol.
Prieto Iosephus, *Soc. 1 Oecon. gen., Vis. orat. et exam., Ad dom*	,,	Leg.
Przewlekly Franciscus, *Cust. pen., Adiut. coq. et cell., Ad dom.*	,,	Pol.
Sangalli Iosephus, *Emp., Coq., Cell., Excit. 2* .	,,	Ven.
Sullivan Philippus, *Aman., Ad. dom., Soc. exeunt.*	,,	Missour.
Weidinger Ioannes B., *Aman., Ian. I, Ad dom., Soc. exeunt.*	,,	Ven.
Westerberger Maximilianus, *Soc. Adiut. Secr. Soc. (Exaten etc.)*	,,	Germ. Sup.

CURIAE ANNUMERANTUR

Curant Expositionem Missionariam Vaticanam :

P. Cirera Richardus	Prov.	Arag.
P. Dubois Henricus	,,	Camp.
P. Grimaldi Marius	,,	Taur.
Cilia Paschalis, *Coad.*	,,	Sic.
Iraci Raphael, *Coad.*	,,	Sic.
Mulatti Angelus, *Coad.*	,,	Ven.
Sartirana Aloisius, *Coad.*	,,	Ven.

Sac. 36 — Coad. 25 — Univ. 61.

III.

DE PROVINCIIS ET MISSIONIBUS.

Nominationes Pontificiae.

P. Petrus Vidal (Prov. Arag.), in Pont. Universitate Gregoriana Iuris Canonici Lector, die 4 iunii 1925 Consultor Sacrae Congregationis de Seminariis et Universitatibus, studiorum et die 20 iulii etiam Consultor Sacrae Congregationis de Propaganda Fide renuntiatus est.

P. Felix M. Cappello (Prov. Rom.), item Iuris Canonici Lector in eadem Pont. Universitate Gregoriana, die 24 septembris 1925 inter Consultores Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos cooptatus est.

Nominationes Superiorum maiorum.

Administrationem suscipiunt anno 1925:

25 mart. — R. P. Franciscus X. Froehly, Missionis Trichinopolitanae (Prov. Tolos.) Superior regularis.

15 maii. — R. P. Franciscus I. Kelly, Missionis Iamaicensis (Prov. Maryl.-N.E.) Superior regularis.

19 iun. — R. P. Vincentius Borsalino, Missionis Hwaisensis (Prov. Taur.) Superior regularis.

29 iun. — R. P. Eugenius Beaucé, Missionis Nankinensis (Prov. Franc.) Superior regularis.

16 iul. — R. P. Methodius Rihák, Viceprovinciae Cechoslovacae Praepositus.

18 iul. — R. P. Wlodimirus Piatkiewicz, Missionis Orientalis (Prov. Polon.) Superior.

7 aug. — R. P. Iacobus Soria, Missionis Ankingensis (Prov. Legion.) Superior regularis.

11 aug. — R. P. Stephanus Fourcadier, Missionis Tananarivensis etc. (Prov. Tolos.) Superior regularis.

15 aug. — R. P. Severianus Azcona, Provinciae Castellanae Praepositus.

11 sept. — R. P. Aloisius Bonduelle, Provinciae Campaniae Praepositus.

10 oct. — R. P. Ladislaus Jankiewicz, in Regione Poloniae Minoris (Prov. Polon.) Viceprovincialis.

1 nov. — R. P. Ieremias I. O' Callaghan, in Regione Ohiensis (Prov. Missour.) Viceprovincialis.

8 dec. — R. P. Ioannes Bapt. du Dréneuf, Viceprovinciae Brasiliae Centralis Praepositus.

8 dec. — R. P. Petrus Lenz, Viceprovinciae Brasiliae Meridionalis Praepositus.

8 dec. — R. P. Carolus Van de Vorst, Provinciae Belgicae Vice-Praepositus, Provinciali in India Visitatorem agente.

12 dec. — R. P. Ludovicus Vega, Provinciae Mexicanae Praepositus.

Novae Viceprovinciae (1).

Decreto die 17 octobris 1925 dato et die festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. ad exsecutionem mandato, duae Viceprovinciae in Brasilia erectae sunt: altera, Brasiliae Centralis vocanda, a Prov. Romana, a qua huc usque ut Missio pendebat, seiuncta; altera, Brasiliae Meridionalis, a Prov. Germaniae Superioris item distracta.

Mutationes in Provinciarum ac Missionum administratione vel appellatione (2).

Ad parandas futuram Provinciae divisionem, pars orientalis Provinciae Missourianae, a Statu Ohio Ohiensis vocanda, litteris Patris Nostri die 8 septembris 1925 datis, Viceprovinciali proxime gubernanda committitur, integris tamen interim manentibus Provincia et Provincialis auctoritate: qua administrationis divisio a die 1 novembris vim obtinuit. — Item, pars meridionalis Provinciae Poloniae, quae Polonia Minor vocatur, a Viceprovinciali Cracoviae residente immediate regetur, Provincia et Provincialis auctoritate integris interim manentibus: haec die 27 septembris 1925 decreta sunt et die 10 octobris ad exsecutionem mandata.

Missio Insularum Marianarum, Carolinarum et Marshall, quae huc usque sub immediato Praepositi Generalis regimine erat et communibus omnium Hispaniae Provinciarum curis excolebantur, decreto die 31 iulii 1925 dato uni Provinciae Baeticae, aliis tamen Hispaniae Provinciis interim adiuvantibus, commissa est.

Vicariatus Apostolicus Hondurensis Britann., decreto S. Congr. de Propaganda Fide die 15 decembris 1925 lato, deinceps "de Belize" vocandus erit.

Visitationes Provinciarum et Missionum (3).

R. P. Henricus Carvajal, Societatis Secretarius, Provinciae Baeticae

---

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1925, pp. 340-344. — V. etiam supra, pag. 319.

(2) Cfr. *Acta Rom.*, vol V, 1925, pp. 270, 333-335, 362-367. — V. etiam supra, pp. 318-319.

(3) V. supra, pp. 319-320. — Cfr. etiam *Memorab. S. I*, anni 1924, pag. 242.

Visitator renuntiatus die 26 novembris 1925, hanc visitationem incepit mense decembri proximo.

R. P. Norbertus de Boynes, Galliae Assistens, Missiones Syriae, Armeniae et Aegypti (Prov. Lugdun.) visitavit a 31 oct. 1924 ad diem 15 mart. 1925.

R. P. Gulielmus Bodkin, Angliae Provinciae Praepositus, Zambesianam Missionem visitavit a mense sept. 1924 ad sept. 1925.

R. P. Antonius Stravino, Oeconomi generalis Adiutor, Missionem Albaniensem (Prov. Ven.) perlustravit a die 10 mart. ad 6 maii 1925.

Domus novae, instauratae, dissolutae anno 1925.

Assistentia Italiae:

PROV. ROMANA. — *Lauretanum Collegium Illyricum.* Die 24 novembris 1924, RR. DD. Aloisius Cossio Episcopus Lauretanus, Sancta Sede assentiente, Nostros invitabat ut prope B. M. V. Sanctuarium domum aperirent. Superiores autem, annuente Episcopo, eo transferre nostrum Seminarium minus, quod ante Collegio Stratensi adnexum erat, et simul Collegium tam convictoribus quam externis discipulis aptum aperire statuerunt. Multis omnino difficultatibus superatis, inauguratum est tandem novum gymnasium die 29 oct. 1925, cum 55 discipulis, e quibus 39 nostri Seminarii minoris alumni aliique 4 convictores, et 12 externi numerantur. — Collegio Illirico Lauretano, Loreto, Prov. di Ancona.

Iam anno scholari 1924-25 ad finem vertente, Superiores Societatis RR. DD. Alexandrum Fontana Episcopum Ferentinum certiorem fecerant duos Patres, qui docebant in Seminario, post finitas scholas, *Ferentinum* relicturos esse, quod quidem factum est. Gratissimi autem animi sensus cum incolae universi tum praesertim RR. DD. Episcopus et verbis et scripto significaverunt, quod tam strenue et fructuose Societas in hac urbe per amplius centum annos ad bonum animarum adlaborasset.

Non sine magno dolore et Nostrorum et incolarum regionis, Superiores, necessitate coacti, iam a mense iunio anni proxime elapsi remittere statuerant *Collegium Stratense* ecclesiasticae auctoritati, atque hac de re per id temporis RR. DD. Episcopum Faesulanum monuerant. Hoc consilium exsecutioni mandatum est die 23 iulii 1925. Grati animi causa hoc memorandum, quod ex iis adolescentibus, qui per fere dimidiam partem saeculi a Nostris educati sunt, 50 circiter Societati nomen dederunt. Parvum autem Seminarium, quod Collegio adnexum erat, translatum est, ut diximus, in Lauretanam urbem.

Apud Sanctuarium B. M. V. in Valle Aurea (vulgo *Galloro*), prope pagum *Ariccia* in dioecesi suburbicaria Albanensi, ubi toto fere sae-

culo XIX habita est Societatis Residentia, iterum redierunt Nostri, ibique nova Domus probationis Prov. Romanae aedificari coepta est.

PROV. SICULA. — *Catanense Collegium Nostrorum S. Francisci Xaverii.* Villam « Valdisavoia » NN. comparaverunt ut ibi Scholastici in philosophiae studium incumbere in propria Provincia, ut antea solebant fecerant, possent. Nomine villae mutato, domus nova inaugurata est die 26 novembris 1925, maxima cum sollemnitate, adsistentibus E.mo Card. Archiepiscopo Iosepho Francica-Nava di Bontifé, RR. DD. Episcopo Auxiliari Aemilio Ferrais, aliisque bene multis gravissimis hominibus. — Villa S. Saverio, *Cibali* Catania.

Rogante et obsecrante RR. DD. Archiepiscopo Iacobo Carabelli, felicibus auspiciis die 30 aprilis 1925 aperta est nova Residentia *Syracusis*. Qua in civitate iam ab anno 1554 Nostri Collegium habebant in quo ad suppressionem usque Societatis iuvenes in scientiis et moribus instituebant. Anno 1845, tres Patres, parvam Residentiam constituentes, ad annum 1860 in urbe laboraverunt, Collegio autem clauso remanente. Hoc vero anno Collegii templum, quod sane pulcherrimum et amplissimum est, a RR. DD. Archiepiscopo restauratum, Nostris iterum benigne committitur. — Via Pace 6, Siracusa.

Templum *Sarriae* apud *Florianam* in insula Melita Nostris concreditur : duo Patres et unus Frater Coadiutor ineunte octobri ibidem degere coeperunt, a Collegio tamen Birchircarensi dependentes.

Assistentia Germaniae :

VICEPROV. CECHOSLOVACA. — In extrema Viceprovinciae parte, Saxoniae finitima, in urbe *Podmokly* (*Bodenbach*) Princeps de Thun-Hohenstein pulchram aedem S. Ioannis Nepomuceni optime sitam, cuius ipse dominus est, Societati administrandam obtulit simulque parvam domum donavit. Itaque iam a die 28 octobris 1924 aliquis Pater ibi solita Societatis ministeria peragebat donec hoc anno 1925, veri nominis Statio inchoata est, duobus Patribus et Fratre uno ibi constitutis. — *Podmokly*, Costel sv. Jana ; vel *Bodenbach* St. Johanneskirche.

PROV. GERMANIAE INFERIORIS. — Superiores dudum de altera probationis Domo in Silesia aperienda cogitaverant et quia numerus Novitiorum valde excrevit et ut vocationibus in Germania orientali excitandis consuleretur. Tandem feliciter inventum et emptum est mense aprili a. 1925 in *Mittelsteine* praedium Luttwitzhof satis amplum (420 fere iugerum) quod in antiqua Societate Collegii Glacensis fuit. Situm est in regione omnino catholica, saluberrima et amoenissima. Illuc translata est vicina Statio *Neurodensis* coniungenda cum Domo probationis, quae nunc accommodatur, ut Novitiatus alter, qui interim Exa-

ten hospitium invenerat, quam primum eo immigret. — Josephshaus, *Mittelsteine*, b. Glatz.

De *Collegio Kaunensi*, in urbe Lithuaniae principe, de quo aliquid supra tetigimus, paulo fusius infra dicemus (1).

Prov. Germaniae Superioris. — Die 5 octobris 1925 proprium Scholasticatum aperuit in novo Collegio Pullacensi pulcherrime situm optimeque instructum. Spatio fere unius anni aedificatum est. Nondum absoluti sunt omnes labores, sed paulatim perficientur. In novo sacello domestico media sancta nocte Nativitatis Domini prima Sacra litata sunt. Hoc Collegium 100 fere Scholasticos continet et destinatum est Scholasticis philosophis duarum Provinciarum, Germaniae Superioris et Austriae; theologi contra student in Collegio Maximo Oenipontano Prov. Austriae. — Berchmanskolleg, *Pullach* b. Munchen.

Prov. Neerlandica. — Hagae Comitis iam ab aliquot annis exsistebat Schola S. Aloisii cum Residentia ad S. Teresiae coniuncta. Postquam vero novum aedificium feliciter constructum est, ineunte hoc anno Collegium apertum est, et sic ad tria alia Collegia externorum quartum accessit. — St. Aloysius-College, Costduinlaan 50, *s' Gravenhage*.

Eodem hoc anno tertiam erexit Provincia Domum Exercitiorum in *Spaubeek* (Retraitehuis "St. Ignatius", *Spaubeek, L.*) Haec imprimis ad opifices Spiritualibus Exercitiis excolendos destinatur. Opus feliciter inchoatum est, nam intra primos sex menses 1500 homines (in 29 turmas distributi) sancta Exercitia peregerunt.

Prov. Poloniae. — *Lublini* hoc anno ad felicem exitum perductum est aedificium novi Collegii, cui nomen inditum *Bobolanum*. Iam collocata est ibi parva communitas ex FF. Coadiutoribus praesertim constans, qui varias artes callentes domum ulterius instruunt ac perficiunt. - *Lublin*, Aleje Raclawickie.

Assistentia Galliae:

Prov. Campaniae. — *Collegium SS. Cordis in urbe Tientsin in Sinis.* — Post necessaria tentamina ex mandato Sanctae Sedis ibi facta, huic Collegio ante aliquot annos initium factum est, sed nonnisi anno superiore plene ordinatum dici potuit, et hoc anno mense septembri coeptus est cursus superior studiorum. Primus Collegii Rector nominatus est die 3 iulii 1925, cum antea nonnisi Vicesuperior haberetur. Pendet a nostro Superiore regulari Missionis de Sienhsien, sed est extra territorium huius Vicariatus Apostolici, in Vicariatu Tientsinensi

(1) V. supra, pag. 307; et infra, pag. 470.

Patribus a Missione (*Lazaristis*) commisso. Collegium Tientsinense commercialia et technica studia complectitur, quae similibus studiis Universitatum Sinensium aequivalent. In cursu praeparatorio anno 1924-25 numerabantur 75 alumni ; hoc anno 1925-26 sunt 84, cui addendi sunt 16 cursus superioris. — *Hautes Etudes industrielles et commerciales*, Tientsin (Chine).

Assistentia Hispaniae :

Prov. Aragoniae. — *Ilerdensis Residentia* SS. Cordis Iesu. — Hanc olim urbem Nostri incoluerant eo quidem bono successu, ut incolae optimam memoriam servarent simul ac ardens desiderium nostris laboribus iterum fruendi. Huic voto, RR. DD. Episcopo non probante modo, sed etiam suis precibus accedente, nec munificis benefactoribus deficientibus, annuere visum est. Restituta est ergo Residentia, quae ceteroquin, in sat vasto territorio omni domo Societatis orbato, conveniebat. — Calle de Cataluña, 1, Lérida.

Cum pluribus ante annis conventum fuisset cum RR. DD. Episcopo Novae Segobiae in Philippinis nos sui *Seminarii Viganensis* curam ad hunc usque annum suscepturos esse, neque conventionem renovare visum esset, domum RR. DD. Episcopo restituimus.

Prov. Baetica. — Cum haec Provincia suum proprium *Parvum Seminarium* habitura sit, e 106 discipulis qui Seminarium Provinciae Toletanae constituebant, 33 ad novae Provinciae territorium ortu pertinentes in civitatem Puerto de Santa Maria migrarunt, ut ibi novum Seminarium constituerent. Ipsis iter agentibus, complures alii se adiunxerunt, qui in Seminario ob angustiora spatia hucusque locum habere non potuerant. — Colegio de San Luis Gonzaga, *Puerto de Santa Maria*.

Prov. Columbiana. — *Schola Apostolica*, quae in *La Merced* antea sita erat, iam sedem habet in villa " Sancta Inés ,, apud oppidum Matritense (*Madrid in Columbia*), quod a metropoli Bogotá non longe abest.

Ardentibus votis tum RR. DD. Episcopi tum incolarum obsecundantes, Superiores *Residentiam Manizalensem* constituere decreverunt, cum spes optimorum fructuum sit omnino firma. Praeter ecclesiam sat pulchram rebusque necessariis ornatam et domum, aliam etiam RR. DD. Episcopus domum contiguam nobis dedit, ut in ea Exercitia clausa traderemus. Satis vasta quidem haec domus, adaptanda tamen fini intento, quod iam fieri inceptum est. — Jesuitas, *Manizales*, Colombia.

Prov. Mexicanae. — *Emeritensis Residentia* SS. Nominis Iesu. — Cum RR. DD. Archiepiscopus Yucatanensis multum insisteret ut Nostri

in civitate Emeritensi (Mérida), ubi ipse residet, domum aperirent, duo Patres hucusque missi sunt qui ad tempus domum episcopalem habitant, usque dum, omnibus, si fieri potest, rite paratis, propriam sedem occupent. - Calle 57, N°. 492, *Mérida,* Yuc.

Antiqua Residentia *Parrasensis*, quae propter bellum civile anno 1910 clausa erat, iterum aperitur, non tamen ut nova Residentia constituatur, sed eo potius fine ut *Parvum Seminarium* paulatim erigatur, in quo pueri qui ad nostrae vitae genus apti videantur, rite institui possint. - Plaza Hidalgo 6, *Parras*, Coah.

Domus Probationis et Collegium Maximum NN. S. Stanislai Kostka, quae in urbe *Stockton* sita erant, in alium locum, prope urbem *El Paso*, translata sunt. - *Ysleta College*, Box 275, route 1. El Paso, Texas, U.S.A.

Prov. Legionensis. — *Novum Collegii Habanensis aedificium*. — Diebus 19-21 decembris 1925, plurimorum concursu et opera antiquorum alumnorum, pulcherrimis et celeberrimis pompis novum Collegii aedificium dedicatum est. Hanc occasionem nactae, omnes urbis ephemerides pueris in litteris moribusque instituendis indefessam antiqui Belén Collegii operam magnifice praedicarunt. Ultimo vero festivorum die ipse Reiupblicae Praeses totum Collegium circumire voluit. — Collegio de Belén, Apart. 48, Marianao, Habana, (*Cuba*).

Prov. Toletanae. - *Pacensis Residentia*. — Nostri Patres, qui fere 50 abhinc annis civitatem Pacensem (Badajoz) coluerunt, tot fructus tantamque aedificationem reliquerunt, ut ab eorum discessu optimi quique cives non cessarint suas iterare preces ad nostrae Societatis domum rursus habendam. Nonnullae e divitioribus familiis, ut apertius sincerum ardensque Nostros habendi desiderium manifestarent, scripto RR. DD. Episcopo promiserunt se Nostris procuraturas esse, haec lacticinia, illa olera, etc., quantum nostrae subsistentiae necessaria forent, nullo temporis limite statuto. Pulcherrimum autem templum structura rotundum, in media civitate situm, RR. DD. Episcopus nobis, commodissimis conditionibus, obtulit. Ibi, saturnalibus diebus, maximo fidelium concursu et laetitia, novae Residentiae et apostolicis laboribus initia facta sunt. - San Juan, 50, Badajoz.

Assistentiae Angliae:

Prov. Belgica. — In *Missione Calcuttensi* in Indiis ultimis hisce annis novae quaedam conditae sunt Stationes, quaedam relictae ; quarum mutationum hae sunt praecipuae : - Residentia Calcuttensis *S. Ioseph* clero saeculari concredita est; Stationes *Balaspre et Dum-Dum* nullum iam residentem sacerdotem habent, sed solum identidem visitantur; novae Stationes erectae sunt in *Dhanbad, Jamshedpur* et *Majlispur ;*

item in *Tapkara, Musgutri, Bemerla, Jhunmur, Ambakona, Lachragar.*

VICEPROV. CANADAE SUPERIORIS. — Nova Residentia SS. Cordis Iesu in urbe *Toronto* aperta est, in qua domicilium habebunt et R. P. Vice-Provincialis et Director Nuntii SS. Cordis (*Canadian Messenger*). — Wellesley Crescent, 160, Toronto.

In urbe *Nipigon* nova Statio constituta est, SS. Cordi Iesu dicata. — Catholic Church, Nipigon, Ontario.

Assistentia Americae:

PROV. CALIFORNIAE. — *Domus Exercitiorum Los Altos.* — In urbe Los Altos, ab urbe S. Francisco fere 35 milia passuum distante, praedium aliquod cum domo comparavimus, quae in Domum Exercitiorum facillime conversa est. RR. DD. Archiepiscopus, qui eam titulo « El Retiro San Inigo » ornari voluit, primae seriei Exercitiorum die 2 aprilis 1925 inceptae praeesse dignatus est. — El Retiro San Inigo, Los Altos, Cal.

Residentia S. Francisci Xaverii pro Iaponibus (San Francisco), cuius Nostri curam ab anno 1914 habuerunt, Patribus Divini Verbi die 15 novembris 1925 tradita est.

PROV. MARYLANDIAE-NEO EBORACENSIS. — *Residentia La Platensis.* — Statio SS. Cordis, huc usque dependens a Residentia S. Thomae, ita feliciter progressa est ut eam sui iuris Residentiam constituere aptius videretur ad bonum fidelium efficacius procurandum. — Curch of the Sacred Heart, La Plata, Maryland.

Domus Valetudinaria BB. Isaaci Jogues et Soc. — Haec domus, *Monroe* in mediis montibus sita, in loco visu pulcherrimo, aere saluberrimo, aditu commodissimo, quamquam socii Prov. Marylandiae destinatur, aliarum etiam Provinciarum sociis tam Statuum Foederatorum quam Canadae, sanitatem servandi aut recuperandi, quantum per loci capacitatem licebit, optatissimam opportunitatem praebebit. — Seven Springs Sanatorium, « Monroe », N. Y.

PROV. MISSOURIANA. — *Milfordensis Domus Probationis* SS. Cordis Iesu. — Cum Novitiorum numerus iam maior evasisset ut in sola domo Florissantensi facile continerentur, alius fundus reperiendus fuit qui foret aptus ad novum Novitiatum recipiendum et simul, quantum possibile esset, in parte orientali territorii Provinciae includeretur ita ut divisione antiquae Provinciae peracta, novae Provinciae, quam mox constitum iri sperare licet, necessitati iam provisum esset. Aptissimus autem locus inventus est in *Milfordensi civitate* quae 14 milibus passuum ab urbe Cincinnati distat. Aedificiis sat amplis deficientibus,

nova sunt exstructa, atque die 20 augusti, 28 Novitiis secundi anni ex Florissantensi Domo arcessitis, novus Novitiatus inauguratus est. Die 2 septembris primi 14 novi Novitii advenerunt. — Milford Novitiate, Milford, Ohio.

Residentia Populana (Pueblo) S. Patritii suppressa est, eiusque paroecia Episcopo tradita.

PROVINCIA NEO AURELIANENSIS. — *Residentia inchoata Oklahomensis.* — Ut obsecundaretur precibus RR. DD. Episcopi, haec nova Residentia aperta est, cum spe bene fundata mox erigendi in hac civitate Scholam Altam seu Collegium. — St. Joseph's Cathedral, 1905 W. 18th St., Oklahoma City, Okl.

Residentia Orae Occidentalis a Palmis Santae Annae. — Iam in hoc loco Paroecia exsistebat indipendens, quamquam Pater, qui eius curam habebat, a Superiore Residentiae Miamiensis dependebat. Sed ob numerum christifidelium in dies crescentem visum est ad melius res administrandas duas domos separare et Residentiam novam creare. — St. Ann's Church, 215 Second ST., West Palm. Beach, Flo., Box 1776.

IV.

NUNTII VARII EX PROVINCIIS ET MISSIONIBUS.

VICEPROV. BRASILIAE CENTRALIS :

De quadam imagine B. M. V. a Bono Consilio. — Natalem huius novae Viceprovinciae salutantes, memoria recolere non omiserunt antiquiores illius Patres et iunioribus grato animo enarrare miram admodum B. Virginis a Bono Consilio imaginis historiam, quae imago in urbe Paulopolitana in Collegio nostro nunc colitur.

Cum hac imagine, ut refertur, intime connectitur Societatis in Brasilia restauratio, quam R. P. Petrus Beckx affirmare non dubitabat inter illustria Divinae Providentiae miracula admunerandam esse. En quomodo res evenit: Anno 1820 supremum diem obiit in urbe Itú, fama sanctitatis ornatus, P. Iosephus de Campos Lara, Ituensis, qui, Societatem iuvenis ingressus, exilio, Pombalii legibus decreto, subiectus fuerat. Suppressa Societate, Romae sacris ministeriis deditus mansit ad annum usque 1795, quo in patriam ob infirmam valetudinem redire cogitavit. Antequam littore italo solveret, iuvenis quidam ignotus ad illum navim iam conscensurum accedens, picturam quandam B. M. V. a Bono Consilio illi dono praebuit, haec verba locutus: "Hanc effigiem tecum auferas publico cultui exponendam eo loci quo pergis; Ipsa fratres tuos Societatis eodem revocabit, ut cultum erga eam promovere non desinant". His dictis, iuvenis evanuit. Bonus Pater laetabundus pretiosam imaginem secum attulit, et ad sua tandem reversus, illius cultum prophetiamque vulgavit, quin de illius iuvenis dictis, ad mortem usque, unquam dubitaret.

Quinquaginta fere annis a pio transitu Patris de Campos exactis, accidit ut P. Iacobus Razzini (Prov. Taur.) Visitator Missionis Brasiliae fuerit renuntiatus. Cum ad explendum munus sibi commissum iter arripuisset, praeter omnem suam exspectationem, in urbem Itú pervenit. Eius praesentia commoti cives, quos vaticinium Patris de Campos nunquam fugerat, non dubitarunt quin tunc foret implendum; quapropter de obtinendis pro sua civitate Patribus Societatis ardenter agere coeperunt. Inter hos benevolos intercessores erat sacerdos saecularis P. Iosephus Galvão, nepos Patris de Campos, a quo, praeter mirabilem effigiem B. M. V. a Bono Consilio, fundum et domum heres acceperat, ut in eis Collegium institueretur. Quae omnia novis accessionibus aucta, bonus sacerdos Societati obtulit, ut pia vota avunculi et omnis ordinis civium et sua adimplerentur; ita factum est, resque tota feliciter cessit.

Die 12 maii 1867, Collegium S. Aloisio dicatum exsistere coepit in antiquo conventu PP. Franciscanorum, sed solum donec nova domus construeretur in fundis Patris de Campos. Transmigratio in aedes recenter excitatas anno 1872 feliciter evenit. Eiusmodi aedes, sequentibus annis paulatim amplificatae, Gymnasium Ituense efformaverunt. Demum, postremis hisce annis, iustas ob causas, Collegium Ituense S. Aloisii in S. Pauli urbem translatum est, atque ita ex Ituensi factum est Collegium Paulopolitanum. Eidem praeesse pergit B. Virgo a Bono Consilio, cuius imago omnium veneratione circumdatur.

De monumento Paulopolitanae urbis. — In eadem Paulopolitana urbe, die 12 maii 1925 monumentum dicatum est « ab ipsa urbe condita ». Est altissima columna eodem loci sita ubi olim templum et Collegium Societatis, prima novae urbis aedificia, surgebant. Ad pedes monumenti prominent sculpti Ven. P. Iosephus Anchieta, P. Emmanuel de Nobrega, aliique e primis Nostris Brasiliae Missionariis. Nobile, singulare, perpetuum grati animi exemplum tantae urbis, quae suam originem a Societate repetit! — Praecipuus operis auctor, fautor et architectus fuit Doctor Augustus Adulphus Pinto, Collegii nostri Ituensis olim alumnus, vir et integritate morum et nobilitate animi et omni civili officio spectatissimus, religioni ac Societati addictissimus. Is sermone quo, coram Reipublicae Praeside, urbis Praefecto, Societatis Superiore, suum opus coronavit, monumentum monumento addidit, Societatis laudes ex corde promens amplissimas. De quibus omnibus edoctus, Pater Noster epistolam ei gratam expedivit.

PROV. GERMANIAE INFERIORIS: — *Missio Lithuana.*

Quot quantaque olim fuerint in Lithuania finitimisque regionibus opera Societatis, vel ex hoc colligi potest quod anno 1755, quo Assistentia Poloniae erecta est, Provincia Lithuaniae 1114 socios numerabat, quorum 484 sacerdotes, domicilia vero non minus 90, quorum 21 Collegia; et etiam post erectionem Provinciae Mazoviae ab ipsa seiunctae (anno 1759) 46 domicilia habebat et 645 socios, ex quibus 273 sacerdotes (1).

Post coactam 150 annorum absentiam, Societas iterum ante duos annos in Lithuaniam admissa est. Reducibus Nostris in primis cordi fuit antiquum Collegium Kaunense et ecclesiam sibi restituta reficere, quae veterum Patrum et praesertim Servi Dei P. Nicolai Lancitii, ibi magna cum sanctitatis fama anno 1652 vita functi, virtutes ac labores in memoriam revocant, quaeque, praeter actorum temporum incuriam, proximo bello multum pessumdata erant. Nam Russi, Lithuania potiti, magnum nostrum S. Stanislai templum in cathedralem schi-

(1) Cfr. *Synopsis historiae S. J.*, Ratisbonae, Pustet, 1914, columna 328.

smaticorum converterant; Collegium vero ut bibliotheca primum, deinde ut tabularium, demum ut orthodoxi archiepiscopi domicilium adhibitum est.

Ecclesia itaque catholico cultui rursus addicta, annexum aedificium ad novas temporum necessitates aptandum et pueris educandis iterum dicandum erat, quod consilium sine ingenti sumptu exsequi non poteramus. Divinae tamen Providentiae confisi, magno animo opus aggressi sunt Nostri, neque eos spes fefellit; nam, Summi Pontificis auxilio potissimum adiuti, quem 500.000 libellarum in hunc finem elargitum esse supra retulimus (1), Collegium bene aptarunt et scholas summo cum civium plausu iam inchoarunt, Superiore ad Vicerectoris munus a die 2 febr. 1925 evecto.

PROV. CAMPANIAE: — *Missio de Sien-hsien.*

Exercitia ad Missionarios exteros in Manciuria. — In Manciuria duo sunt Vicariatus Apostolici: meridionalis (Mukden) et septemtrionalis (Kirin). Mense maio 1925 rogati sunt Nostri ut Missionariis Europaeis *(Missions Etrangères de Paris)* inibi degentibus Exercitia enuclearent. Aderant ergo duo Vicarii Apostolici eorumque Missionarii Sacerdotes. « Modo imbuamur veris S. P. Ignatii Exercitiis, omnibus conditionibus subscribemus » dixerant; et Deus eximiam hanc dispositionem bonamque voluntatem compensavit. Nam uberrimus fuit fructus. Et privatim et publice saepe in haec verba exierunt: « Sive hic, sive in patria nostra, cum ad tempus eam repetimus, vera Exercitia nonnisi cum PP. Iesuitis peragimus ». Duo praecipue admirati sunt: miram Exercitiorum methodum; quid et quantum praestet in ea vita Christi. De Regno Christi quidam dixit: « Qui bene hoc meditetur, non potest non fieri religiosus, imo missionarius ».

Deinde addit Pater, qui haec retulit: " Conservo adhuc octo foliola scripta in tyrocinio singulis Exercitiorum octo diebus, quae lectiones ac notas auxiliares ad Exercitia exhibent. Haec ego meis auditoribus aptabam, ac foliolo appenso quoque die, mane exponebam. Vidisses hos graves Sacerdotes peritosque Missionarios, statim a ientaculo, folio ac lapide nigro armatos accurrere, libroque pro tabula supposito, omnia diligentissime, ut Novitii solent, transcribere. Et unus e Vicariis Apostolicis voluit mea ipsa exemplaria secum afferre ,,.

Ad extremum relatio his verbis concluditur: « A principio ad finem mihi exemplo fuerunt. Et ego nihil aliud egi quam Exercitia eorum menti, difficultatibus, indigentiis aptare, Exercitia practica, magis quam theoretica; quae aptatio et praxis res sunt quas incessanter praedicabat P. Watrigant ».

---

(1) V. supra, pag. 307.

Festum domesticum. — In Missione Tchély Sud-est in Sinis die 7 iulii 1925 pulcrum festum fuit. Quatuor Patres eo die quinquagesimum religionis annum celebrabant, videlicet : P. Clotarius Baudoux, Gallus ; et PP. Carolus Ming, Simon Li, Petrus Tcheou, omnes Sinenses.

In hac Missione numerantur hodie 39 Sacerdotes sinenses, 10 theologi, 15 philosophi, 10 Scholastici novitii, 35 litteris latinis studentes, 76 ad easdem litteras proludentes. Optima sane principia illius formationis cleri indigenae, quam Sancta Sedes ubique exoptat et sapientissime urget !

PROV. FRANCIAE : — *Nuntii ex Missione Nankinensi.*

Rerum conditio. — *Belli civilis* ignis, anno 1924 tempore Nativitatis vix sopitus, iterum in Missione nostra saeviit per annum 1925 :

1°) circum Chang-hai, Zi-ka-wei et Song-hiang, prima vice die 31 dec. 1924, altera vice die 11 ian. 1925, tertia vice die 28 ian., et post pacem 2 febr. pactam, die 15 oct. eiusdem anni ;

2°) circum Nan-king Ou-si, Sou-tcheou, prima vice in fine ianuarii, altera in fine octobris. ;

3°) circum Ts' ing-kiang-pou, Siu-tcheou, et Hai-tcheou, mensibus octobris. et novembris.

Exinde multa, per regiones bello vastatas, latrocinia et alia tum vincentium tum praesertim devictorum militum facinora. Quamobrem multa in nostris ecclesiis refugia, sicut anno 1924, pauperibus et miseris aperta, v. g. in Zi-ka-wei (fere 7.000 clientum simul aderant die 12 ian.), in Se-kieng, in Yang-tcheou, T'ang-chan, Hai-tcheou, etc.

Odiis inter cives et inter exercitus flagrantibus, odia passim accesserunt aut successerunt inter iuvenes sparsa, qui studiorum causa aut praetextu in scholis vitam degunt. Initio anni vel per festa Nativitatis anno 1924, iam in provinciis Tche'-kiang, Fou-kien, Koang-tong, imo in Urbe Chang-hai, motus antichristianus exsurgebat. Post excitatas in Iaponensium officinis multas populares turbas, seditio die 30 maii 1925 in viis Chang-hai repressa, propagatores et imitatores et qui se profitebantur ultores habuit in plurimis Sinensis reipublicae civitatibus atque regionibus. Hac quasi secunda periodo elapsa, quae praecipue xenophobiae aestus esse videbatur, et cui faverunt alii, et alii obstiterunt magistratus et exercituum duces, tertia periodus in fine anni supervenit, quae plane demonstravit christianismi, etiam in scholis Zi-ka-wei, ruinam prae primis esse in turbatorum votis.

Exinde secuta est, initio mensis iunii, necessitasse defendendi a turbatoribus et ideo ante studiorum finem ad familias dimittendi scholarum nostrarum alumnos, et, in fine anni, clarior in indigenarum christianorum

animis intelligentia de fidei periculo et de « studentium bolscevistarum » consiliis pessimis.

Praeter auxilium tum ab extraneis ducibus tum ab aliquot ex indigenarum militum praefectis praestitum, instituti sunt in Tong-kadou (sept. 1924) et Zi-ka-wei (mart.-mai. 1925) manipuli militum voluntariorum, ab utraque auctoritate approbati, ordini etiam per arma conservando in illis christianitatibus praepositi.

Scholae. — In Schola Mao-ka-tsen sectionis Hai-men, die 28 iunii 1925 praemiorum distributio, sicut anno elapso (sub P. Ducoux), praesidente Subpraefecto, iterum facta est, et cum eo iudex et plures scholis et educationi publicae praepositi magistratus invitati assistebant.

In civitate Nan-king, incepta, praeliorum tempore, schola Universitati praeparatoria 17 discipulos paganos habebat mense novembri, 2 magistros ex Nostris, 2 laicos, et 23 terrae iugera intra et prope viam principalem urbis.

Die 12 novembris, schola S. Petri Canisii misit ad Peng-po'u, ut milites curarent aegrotantes aut vulneratos, rogante societate Rubrae Crucis, 2 medicos europaeos et 8 medicinae studentes discipulos, quos secutus est alius medicus anno elapso diplomate donatus. Opus aggressi sunt pro 500 viris.

Die 26 eiusdem mensis, in Zi-ka-wei, aperta et benedicta est domus nova Scholae normali destinata.

Insignia et gratulationes. — Votis annuens Vicarii Apostolici Nankinensis, Sancta Sedes in Ordinem equitum Sancti Silvestri promovit Dominos Lôh-pah-hong, Tsu-tseyao, Wou-li-tsong, quorum in hono-rem, in Collegio S. Ignatii, die 17 maii, festum paratum est a coetu antiquorum alumnorum, lectaque epistola RR. DD. Celsi Costantini, Delegati Apostolici.

P. Henricus Dugout, pro Kiang-sou provinciae descriptione, a Societate geographica accepit numisma aureum ; P. Ernestus Gherzi, pro officiis in re nautica, eques Coronae Italicae nominatus est ; P. Fridericus Courtois numisma argenteum a Societate Gallica Nationali « d'Acclimatation » recepit pro studiis et libris et donis ad historiam naturalem evolvendam utilissimis.

Die 11 novembris, RR. DD. Prosper Paris S. I., Vicarius Apostolicus Nankinensis, vigesimum quintum anniversarium celebravit suae consecrationis episcopalis, in ecclesia Zi-ka-wei, cum benedictione apostolica Summi Pontificis, RR. DD. Delegati Apostolici gratulationibus, et compluribus intentionibus Missarum tum ab Adm. Rev. P. Generali tum a tota Provincia oblatis.

Ecclesiae et domus. — In fine decembris 1924, benedicta est, in Missione PP. Canadensium futura, ecclesia cum residentia Wang-ko, praesentibus 11 presbyteris.

Die 5 maii, in sectione sacerdotum secularium P'ou-né, 25um anniversarium celebratum est a 4 presbyteris pro institutione Missae in prima mensis feria sexta in districtu Kao-ghiao, ubi perseveravit devotio in SS. Cor Iesu.

Die 24 maii, in colle Zô-sè, primus novae ecclesiae lapis angularis positus est a RR. DD. Paris, in honorem B. M. V. Auxiliatricis, iam ab anno 1867 multis peregrinis quotannis (per mensem maium praesertim) aedem carissimae Matris petentibus.

Diebus 19, 20, 21 iunii, in Tsang-ka-leû (P'ou-tong), triduum precum et concionum in memoriam 60 annorum ab ecclesiae christianitatis exordio elapsorum. Post ultimam Missam, pompa sacra cum SS. Sacramento per vias Tsang-ka-leû vici a R. P. Superiore Missionis ducta est cum 20 sacerdotibus.

In ecclesia Zi-ka-wei, ad festum S. Ignatii celebrandum, pridie benedictum est organum aliquot ante mensibus ex anglicana cathedrali emptum.

Die 28 augusti lectum est decretum de separatione Collegii S. Ignatii et Residentiae Zi-ka-wei, et fieri separatio in his quae ad vitam communem spectant coepta est.

Diebus 30 sept.-1 oct. exceptus est in Observatorio Zô-sè Subpraefectus Ts'ing-p'ou, ad quem pertinet Zô-sè territorium, qui venerat ut speculam astronomicam visitaret 30 sept. - 1 oct.

Propter plurium vicinarum scholarum alumnos, qui die Nativitatis 1925 tentaverant tumultuosam contra christianos impugnationem in ecclesiam et Collegium Zi-ka-wei, finis anni 1925 et initium anni 1926 « pacis armatae » speciem praebuerunt etiam in hoc pacis refugio.

PROV. LUGDUNENSIS : — *Missio Syriae.*

De Nostris in Drusorum seditione. — Omnes norunt ex nuntiis publicis facta gravissima quae, anno 1925 exeunte, in Syria evenerunt. Liceat hic paucis referre quae ad Nostros eorumque opera spectant.

Ac in primis duorum Scholasticorum mors est deploranda. FF. enim Gerardus Foulloy (Prov. Camp.) et Ioannes de La Mothe (Prov. Franc.) cum Damasci militiam agerent, ut insurrectio innotuit, missi cum aliis sunt ad urbem Sueidam defendendam, qua tamen a rebellibus capta, dum exercitus recedit, duo carissimi Fratres ignoto modo desiderati sunt. Commilito quidam vidit Fratrem de La Mothe viribus destitutum, in via super torrida saxa iacentem cum Drusi tria tantum Km. distarent :nihil aliud de alterutro rescitum est. Haec accidebant die 3 augusti 1925. Fr. Foulloy ortus erat Comines in dioecesi Insulensi (Lille) a. 1903, Fr de La Mothe in archidioecesi Turonensis (Tours) a. 1902.

Rebelles ergo, Sueida potiti, Damascum contendebant eam quoque urbem invasuri, depredaturi, novumque arabicum regimen instauraturi. Sed, ut scimus, res non cessit e voto. Complures tamen catholicos

Armenos, qui vicinias urbis in tentoriis incolebant, crudeliter interemerunt. Nec senibus, nec mulieribus, infantibus aut aegris pepercerunt: alios iugulare, alios mutilare, hos dilaniare, illos igni dare. Miseri Armeni trepidare primnm, mox fuga salutem petere atque in viae ferreae stationem se recipere. Fuit quidam iuvenis catholicus heros, qui solus barbarorum impetum continuit, dum Christiani aufugerent, donec deficientibus suo sclopeto missilibus, et ipse ultimus, insequentibus licet a tergo hostibus, incolumis evasit, novus Horatius Cocles. — Memoria dignum etiam exemplum christianae pietatis quod duo christiani ediderunt. Nam vetulae matri infirmae maluerunt adstare potius quam fuga, cum facillime possent, sibi consulere. Itaque una cum matre iugulati, una cum ipsa caelicam vitam auspicati sunt, ad quam se comparaverant Eucharistiae, cuius erant avidissimi, frequentatione.

Haec de Armenis retulimus, quia miselli hi ex Cilicia profugi Nostrorum curas et caritatem omnimodam Damasci experti sunt ac porro experiuntur et quodammodo ad nos spectant. Unde scribit R. P. Paschalis Zoulikian, Residentiae nostrae Damascenae Superior:

« Pace restituta, duo millia Armenorum misericordiam et providentiam nostram deposcunt: gens sine tecto, sine vestibus, sine pane. Quid faciam? Quo confugiam? Quos exorem? Quod potui hucusque exhibere est veluti gutta ad mare. Infelix natio calamitatibus et martyriis oppleta omnique ope humana destituta, quis miserabitur tui? »

Haec eadem repetit, post novas in Armenos incursiones quae hoc anno (1926) acciderunt cum novis occisionibus, quas narrat in epistola data sub die 5 augusti 1926.

Prov. Castellana: — *Nuntii de Missione Sinensi Wuhu.*

De dispensario. — Iam pridem in omnium votis erat, instar aliarum Missionum, aperire aliquod dispensarium ubi haberentur consultationes medicae gratuitae pro illis aegrotis qui vellent ad nos accedere nostraque pro illis uti caritate.

Inceptum est opus caritatis in quodam cubiculo, angusto eo quidem, intra septa domus Wuhu, sine strepitu, tantummodo ex utraque parte ianuae, more sinensi, duas tabulas appendendo his verbis: " Habebuntur gratis consultationes medicae; mane, hora...; vespere, hora... ,,.

Incredibile est huic modestissimo principio quam laeti fructus subsecuti sint. Post non multos dies, irrumpebant aegroti summo mane ita ut nec ianitor continere multitudinem, nec Frater infirmarius pro voto succurrere illorum necessitatibus posset. Quare statutum est ut deinceps nemini, qui schedulam quamdam dispensarii paucis *sapecis* obtinendam non haberet, accessus concederetur. — Quo factum est, ut Frater tranquillius et ordinatius curare non bene valentes, medicinas eisdem porrigere aut consilia dare posset. Frater adhibet socium quemdam

cathechistam qui medicamenta distribuit et de eorum usu aegrotis accuratius verba et consilia Fratris explicat.

Accedunt quotidie ad portas dispensarii octoginta, centum et plures sive homines, sive pueri, ita ut ex mense ianuario anni 1925 usque ad mensem decembrem, plus quam 30.200 consultationes medicas Frater habuerit. Primis diebus accedebant fere soli pauperes ; sed non multo post, cum de gratuitate consultationum et Fratris caritate rumor percrebuisset, omnes cuiuscumque generis homines venire coeperunt : mercatores, milites, litterati, magistratus.

Memoria dignum est id quod accidit cuidam bonzio, qui cum per longum tempus inutiliter Budam precaretur ut a pertinaci morbo illum liberaret, postremo venit ad dispensarium et, paucis diebus, curis Fratris infirmarii sanitatem recuperavit. Tum ille nesciens quo modo gratum animum erga Fratrem ostenderet, effigiem ipsius impotentis Budae ad dispensarium attulit, quam etiam dono Fratri infirmario dedit.

Ita factum est ut, brevi tempore, dispensarii fama et Missionariorum caritatis bonus odor diffusa per urbem, incolarum animos nobis valde conciliarent.

De apostolicis laboribus Missionariorum in suis districtibus nihil dicere opportunius possumus quam schema laborum ante oculos producere, quo lector sibi persuadeat Missionis fructus salutares, Deo sint gratiae, in annos augeri.

Erant	*An. 1923-24*	*An. 1924-25*	*Augmentum*
Christianitates	233	236	3
Christiani	31.501	32.583	1.012
Catechumeni	14.620	15.305	685
Baptizati adulti	647	664	17
» pueri	2.565	3.232	667
Communiones	157.939	168.124	10.185
Alumni christiani	945	1.073	128
» pagani	212	297	85
Alumnae christianae	732	765	33
» paganae	136	179	43

Demum, in civitate Ningkwofou aedificata est schola praeparatoria Seminarii pro pueris indigenis qui vocationem ad sacerdotium senserint. Sperandum est ut iam proximo curriculo anni 1926 alumni minime desint.

PROV. COLUMBIANA :

Operariorum insignis Congressus. — P. Iosephus Campoamor, approbatione RR. DD. Archiepiscopi Bogotensis munitus, faventibus etiam Reipublicae Magistratibus, ingentem operariorum Catholicum Congressum Bogotae comparavit, cuius solemni inaugurationi, die 19

iulii 1925 habitae, ipse supremus Reipublicae Moderator, Ministri, multique Primates Nationis aderant. Sane, participantes, ut aptam Conventui praeparationem praeponerent, et ipsi et multi alii operarii, inter Missam celebratam ad altare B. M. V. de Chiquinquirá, Columbianae Nationis Patronae, ad sacram Synaxim accesserunt. Multae quidem eaedemque pulcherrimae et celeberrimae operariorum pompae et sacrae ostentationes. Sessiones vero Congressus octo integros dies protractae sunt. Earum conclusiones, serio discussae et acceptae, genuinam Christi et Ecclesiae ductrinam omnino sapiunt, et verae utilitati et operariorum emolumento maxime conformes inveniuntur. Aliqui "anticlericales" qui dicuntur, sive operarii sive alii, immisceri se catholicis voluerant, ut eorum consilia falsis suis aspergerent: at irrito conatu id pertentarunt.

In memoriam P. Prudentii Llona. — Antioquiae, in Columbiae urbe, in die 20 aprilis 1925 senatus consultus prodiit ex ea quam dicunt "Asamblea Departamental" ad merita commemoranda P. Prudentii Llona, die 12 decembris 1923 vita functi atque de puerorum institutione, quo in ministerio magnam vitae partem traduxit, optime meriti. "Iesuita ille (verba sunt decreti) scientia et virtute eminentissimus fuit: Columbiam et Antioquiam urbem peculiari dilectione prosecutus, nobilissimis laboribus ingenioque suo illustravit". Edicitur deinde ut viri figura paretur, locoque conspicuo honoris causa statuatur.

Prov. Legionensis:

Obitus Marchionis a Comillis. - Piissime ac suavissime decessit Matriti die 18 aprilis huius anni 1925 Excmus. Dnus. Claudius López, Marchio a Comillis. Vir nobili genere natus et egregio animo praeditus ac maximis honoribus sive a Romanis Pontificibus sive a natione hispana decoratus, maioribus etiam ornamentis animum instructum habuit: fidelissimo potissimum amore erga Romanum Pontificem Ecclesiaeque Praesules et insigni caritate erga quoscumque pauperes et egenos, quibus copiose quidem, sed plerumque clam (qua erat modestia) subveniebat.

Morti proximus confessus est se singulari semper cultu prosecutum fuisse Sanctum Ignatium de Loyola, cuius excelsum atque invictum animum admirabatur. Pro sua voluntate, quam religiosissimae uxori manifestarat, eius cadaver veste Societatis indutum fuit: extremum et luculentissimum suae erga Societatem benevolentiae indicium.

Paucis post diebus, Pater Noster memori animo recolens beneficia, quae ab ipso eiusque patre Exmo. Dno. Antonio López Societas acceperat, utrumque declarabat fundatorem Seminarii Comillensis et suf-

fragia pro fundatoribus praescripta in tota Assistentia Hispaniae persolvenda indicebat (1).

In eodem Pontificio Seminario Comillensi benevolentissimo Fundatori eximie parentatum est eiusque sepulcrum pia veneratione custoditur. Libellus, cui titulus « *Luz sin sombra : El Marqués de Comillas* » a P. Michaele Cascón vulgatus, magnam, quae ubique, non in Hispania tantum sed etiam in America Australi, de illustrissimo Viro habebatur, existimationem auxit, nec desunt qui se eum aliquando publico cultu veneraturos esse sperent.

PROV. MEXICANA :

Nostrorum opera in nosocomiis. — In urbe Mexico duo sunt nosocomia in quibus Sacramenta, anno 1925, Nostri ministrabant. In primo, a *Juarez* appellato, 700 homines militares morabantur, qui morti proximi fere omnes Poenitentia et Viatico muniebantur. In altero autem, quod proprie ad milites pertinet et 1000 horum continet, de vita periclitantibus eodem modo subveniebatur.

Hi viri, etsi ignorantia et animae incuria maxime laborent, principia tamen fidei in confuso retinent ac ultimae gratiae Dei non obsistunt immo cedunt. Hoc autem saepius evenit in his qui infimae sunt conditionis, in quibus Pater assistens se praeclariora exempla in tolerandis doloribus et condonandis inimicis spectasse testatur, adeo ut miseri illi homines ipsi admirationi essent.

PROV. TOLETANA :

Operariorum quaedam Societas Catholica Cordubensis, cuius curam Nostri susceperunt, nunc 500 adscriptos coadunat, divisos, ut arbor in diversos ramos, in 23 decurias. Sectio « conscriptorum ad Exercitia Spiritualia peragenda » primo anno 21 viros, secundo 60, tertio amplius 100, et hoc anno (1926), quamquam eius finem nondum attingimus, plus quam 100 iam adscriptos habet, qui Exercitiis Spiritualibus operam dederunt. Bibliotheca quaedam omnibus festis diebus convenientes singulis libros accommodat, et praeterea menstruam ephemeridem « El Obrero » edit, cuius 3000 exemplaria gratis impertiuntur. Schola eliam Cantorum instituta est cuius solertiae religiosi cantus quibus festa et solemnia Consociationis amplificantur commissi sunt. Adest etiam Sectio Scenica, cuius iuvenes socii onus et munus assumunt litterarum seu musicae artium speciminibus horas vacuas ceteris quoque iucundas procurare. Aliis etiam operibus, quibus pecunia reservatur (futuro providetur !), initium fecerunt.

Doctrina christiana dialogo exposita. — Murcia tempore qua-

---

(1) Cfr. *Acta Rom.*, vol. V, 1925, pag. 351.

dragesimali populus creberrimus ad nostrum templum accurrit, ad audiendum catechismum in modum dialogi a duobus e Nostris traditum, quorum unus partes magistri agit, alter vero discipuli imbecilliori mente praediti. Haec peculiaris praedicatio, quae quasi traditionalis iam apud nos invenitur, tot incolarum etiam e longinquis vicis attrahit, ut ne vastissimum quidem templum omnes continere possit.

Familiarum SS. Cordi Consecratio. — In urbe Cluniensi seu Civitate Regia (Ciudad Real) opus Consecrationis Familiarum Sacratissimo Cordi sociae Conferentiarum Ss. Vincentii de Paulo intense promovere coeperunt. Quae dominae, Consecrationis occasione, in pauperum domos non paucae conveniunt, et ibi, altaribus pulchris aedificatis, canticis piis religiosum ritum amplificant, ita ut vicinae vicinique non pauci, festi splendore allecti, et ritus religiosi et benedictionis e Corde Iesu effluentis participes fiant.

Congregationis Militum insignis caritatis exempla. — Feria quinta Maioris Hebdomadae, in aula Congregationis Militum, coram plurimis invitatis in auctoritate constitutis et alumnis Scholae Militaris, eiusdem Scholae Militaris et Officinae Armorum Directores (ambo « *Coroneles* »), festivis vestibus ornati, supra quas aperte insignia Congregationis portabant, maximo omnium exemplo pedes complurium pauperum laverunt, eisque coenantibus ministraverunt.

SS. Cordi monumentum. — In urbe Villafranca de los Barros Consilium civitatis, supremo Magistratu *(Alcalde)* omnino consentiente, media in platea magnam Sacratissimi Cordis Iesu statuam erigere decrevit. Quod propositum ipse populus ardenter fovet pecuniam liberaliter dando (mense maio iam 10.000 pesetarum collecta erant) ut votum exsecutioni mandari possit. Commissionis ad hunc finem institutae praesunt Parochus, summus urbis Magistratus et nostri Collegii Rector.

PROV. BELGICAE :

Bibliotheca Collegii Lovaniensis. — Collegii S. Ioannis Berchmans bibliotheca, his circiter 20 annis proxime elapsis, tum spatiis cum voluminibus multum increvit. Armariolorum enim superficies iam triplex extenditur : libri autem, quorum anno 1914 « Minerva » (classicus index magnarum mundi bibtiothecarum) 125.000 adesse nuntiabat, ho die 166.850 numerantur. Quamobrem magnas inter Belgii bibliothecas quintum locum obtinet (aliae quatuor publicae regni bibliothecae, Regia nempe, et trium Universitatum Gandavensis, Leodiensis, Lovaniensis, 500.000 voluminum et ultra singulae continent), primos vero ordines occupat inter Societatis bibliothecas cum Bollandistarum et Collegii Jerseyensis bibliothecis. Ita vestigiis insistimus priscorum Patrum So-

cietatis, cui optime instructae bibliothecae non mediocri laudi apud doctos fuerunt.

Consociationes SS. Cordis (Bonden van het H. Hart). — Finis praecipuus talium Consociationum est ut virorum generales Communiones in SS. Cordis Iesu honorem multiplicentur. In plerisque paroeciis ubi hae florent, etiam Apostolatus Orationis viget. Omnium earum Consociationum Generalis Secretariatus, ut vocant, Mechliniae (Malines) constitutus, cui duo Patres praesunt, menstrua folia edit quae per locales directores distributa spiritualem vitam nutriant et foveant. Provinciae Antverpiensis fere singulae paroeciae sua consociatione ornantur; in Provincia Brabantiae 84, in Limburgensi 20, in Flandria Occidentali 100 numerantur. Eorum vero qui Foederi adeo pio nomen dederunt summa 100.000 aut attingit, aut superat. Porro singulis mensibus 60.000 ad 70.000 virorum in variis vicis insimul ad sacram Synaxim accedunt. Amantissimum Cor Iesu hoc opus sua benedictione prosequi dignetur.

Nuntii ex Missione Bengalensi. — Mense septembri anni 1925 Belgarum Rex ac Regina iter agentes per Indiam, cum devenissent Calcuttam, nostrum S. Francisci Xaverii Collegium visitarunt. Magno honore excepti, magno quoque honore nos affecerunt. Ubique opera Nostrorum apostolica ac labores admirabantur verbisque Rex cum magna animi propensione extollebat. Dixit inter alia: Se libenter versari inter membra Societatis quod haec sit *disciplina fortis et traditionibus immutabilis*. Post Collegium Calcuttense etiam Collegium quod habemus Darjeeling inviserunt; Collegii vero Nostrorum Kurseongensis, quoniam distat a viae ferreae statione, deputatos Patres ad hanc arcessiverunt, quibuscum amice aliquantulum assiderunt. Demum Seminarium Pontificium Kandy in insula Ceylan comiter adierunt.

Alumni Seminarii indigenae crescunt; crescunt et Sorores indigenae; et quoniam deest pecunia, RR. DD. Archiepiscopus collectam indixit bis in anno faciendam in omnibus ecclesiis ad utrumque institutum sustinendum. Idem Archiepiscopus, qui est RR. DD. Ferdinandus Périer S. I., hoc anno vix redux ex Belgio ornatus est sacro pallio, quod ei imposuit RR. DD. Ludovicus Van Hoeck S. I., Episcopus Patnensis. — Etiam Visitator Apostolicus Indiae, RR. DD. Alexius Lepicier O. S. M., saepissime in domibus vel Collegiis nostris consedit, praecipue Kurseong; ubique, ut scribunt, festive exceptus, et ipse Societatem ac opera eius laudibus prosecutus.

PROV. HIBERNIAE: — *Missio Australiae.*

Seminarium apud Werribee prope Melbourne, quod Patribus S. I. commissum est, multum recens accepit progressum, et lapis angularis domus novae ab Ill.mo Archiepiscopo Melbournensi positus fuit die 5 aprilis 1925.

Aedificia nova, quae cubicula 60 bibliothecam magnam, triclinium et nosocomium continent, nunc fere perfecta sunt. Hoc anno (1926) iuvenes studiosi in Seminario sunt triginta sex.

In Collegio Newman, Universitati Melbournensi aggregato anno 1925. convictores erant 36, et externi 44. Tum in studiis tum in ludis res Collegii valde prosperae fuere.

PROV. MISSOURIANA :

Nosocomiorum catholicorum Consociatio in America Septemtr. — Haec magnifica foederatio auctorem habet P. Carolum Moulinier, qui decem abhinc annis eam fundavit. Extenditur autem per omnes Foederatos Status et Canadensem regionem. Scopum sibi proponit incrementum religiosum, morale, scientificum ac technicum nosocomiorum catholicorum. Quodlibet membrum pro sua parte ad hoc commune bonum conferre debet ; coetus peculiares medicorum, Sororum, infirmariorum etc. numerantur viginti. Quilibet coetus prius privatim studet et excogitat ; semel autem in anno conveniunt omnes successive in praedium « Spring Bank » ad lacum Oconomowoc (Wisconsin) ubi quilibet in commune pro se deliberat. His congressibus duos menses ea villa inservit, ceteris vero decem anni mensibus in Domum Exercitiorum mutatur vel pro illis eisdem personis vel etiam pro aliis.

Iam fere 600, super 750 catholica nosocomia in St. Foed. Am. exsistentia, huic Foederi nomen dederunt. Eiusmodi institutum alia praeterea habet adnexa ut « Collegium administrationis nosocomiorum », « Scholam technicam nosocomiorum », « Scholam normalem pro Sororibus ad nosocomia destinatis », et id quod coronat opus Congregationes Marianas fovet : his praeest (iam numerantur 200) P. Eduardus F. Garesché.

Nostrorum opera in « Cook County Hospital » (Chicago). — In media urbe Chicago, pars eius quaedam « Nosocomiorum sectio » dicitur, nam ibi octo hospitalia sita sunt. Inter haec eminet « Cook County Hospital » pauperibus aegrotis vel improviso morbo correptis vel casu laesis destinatum. Ex quinque aedificiis constat : in octo contignationes exsurgit : 75.000 aegrotos quotannis recipit, ex quibus 2.500 obeunt, et 60 vel 65 pro centum catholici sunt.

Iam ab anno 1903 PP. Societatis inibi animarum curam gerunt. Ac duo quidem ex illis, nulla intermissa mora, sed alter alteri succedens, semper adsunt. Tertius praeterea multum operis confert, ut illi duo aliquantulum requiei capiant.

Visitare quotidie omnia recensita aedificia, unumquemque aegrotum invisere, singula cubicula imo lectulos indiscriminatim praeterire, exomologes audire, infirmis assistere, accurrere, solari, alia quamplurima, caritatis christianae officia obire, quam sit laboriosum non facile intelli-

gitur nisi ab experto. Dominicis diebus quatuor Missae pro opportunitate celebrantur: ceterum ibi sacri ritus fiunt more quodam primitivo et apostolico. Referunt etiam Nostros quater in mense, imaginibus ex machina proiectis, cantibus, narrationibus, aliisque ab amicis vel societatibus oblatis rebus, infirmorum animos recreare sibique devincire. Ita fit ut Patrum opera pietatis plurimi fiant et apud omnes ipsi bene audiant, imo aestimentur, vocentur, adiuventur et in magna illa familia pars potissima ac necessaria habeantur.

Missiones pro pueris scholarum publicarum. — A Patribus *Milwaukiensis* Collegii (Marquette University-Milwaukee, Wisconsin) scholarum publicarum pueris duodecim missiunculae, Exercitiorum instar, praedicatae sunt: earum quaelibet tres dies perdurabat: sex primae in urbis paroeciis, sex aliae extra, per territorium, sunt habitae. Tria millia puerorum accurrerunt, inter quos Mexicanos, Nigritas, Sinenses aliosque cernere erat.

In Chicagiensi Collegio (Loyola University-Chicago-Ill.). — Cum BB. MM. Isaaci Jogues et Sociorum celebrarentur festa, adfuit Coodlige, vir amplissimus ac Statuum Foederatorum Americae Praeses, qui super mensam haec verba publice habuit:

« Amicitiae causa ad hanc solemnitatem veni. Abhinc annos ducentos undesexaginta, his iisdem diebus, hic ubi nunc clarissima haec urbs Chicago attollitur, P. Iacobus Marquette eiusque socii primas casas et stationes advenis incolis erexerunt. Itaque cuidam insigni exploratori, aeque ac devoto religionis praeconi, amplissima et ornatissima haec civitas primordia sua debet. Gaudeo quod, praesens, tantae urbis admirationi meam quoque coniungere possim et tanti viri memoriam renovare. Siquidem, e viris clarissimis qui patriam nostram condiderunt, Marquette merito inter primos recensetur ».

Huc usque ille, nec commentario est opus.

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE
INEUNTE ANNO 1926

Assistentiae	Provinciae et Viceprovinciae	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	Augmentum Sac.	Augmentum Schol.	Augmentum Coad.	Augmentum Univ.
Italiae	Romana[1]	133	58	56	247	-53	-47	-29	-129
	Brasiliae Centr. (Vicepr.)[1]	48	50	27	125	48	50	27	125
	Neapolitana	108	80	67	255	2	1	2	5
	Sicula	111	65	81	257	-1	7	2	8
	Taurinensis	171	65	52	288	1	2	-3	—
	Veneta	223	87	132	442	-2	9	1	8
	Socii Assist. Italiae	**794**	**405**	**415**	**1614**	**-5**	**22**	—	**17**
Germaniae	Austriae	197	72	100	369	1	2	1	4
	Brasiliae Merid. (Vicepr.)[1]	120	36	60	216	120	36	60	216
	Cechoslovaca (Vicepr.)	98	59	71	228	2	3	12	17
	Germaniae Inferioris	394	219	184	797	17	-6	7	18
	Germaniae Superioris[1]	239	137	117	493	-129	-19	-60	-208
	Hungariae	87	78	58	223	—	3	—	3
	Iugoslaviae (Vicepr.)	62	34	55	151	-3	3	2	2
	Neerlandica	304	167	125	596	-1	12	3	14
	Poloniae	229	195	187	611	-1	33	3	35
	Socii Assist. Germaniae	**1730**	**997**	**957**	**3684**	**6**	**67**	**28**	**101**
Galliae	Campaniae	453	193	113	759	5	-3	—	2
	Franciae	427	162	135	724	-1	11	-2	8
	Lugdunensis	400	148	151	699	-6	11	-4	1
	Tolosana	415	151	116	682	2	-5	-11	-14
	Socii Assist. Galliae	**1695**	**654**	**515**	**2864**	—	**14**	**-17**	**-3**
Hispaniae	Aragoniae	402	258	332	992	9	1	5	15
	Argentino-Chilensis	162	131	142	435	-2	1	7	6
	Baetica	169	122	113	404	1	10	10	21
	Castellana	346	224	279	849	12	-9	20	23
	Columbiana	94	108	103	305	1	6	-8	-1
	Legionensis	248	190	190	628	10	1	2	13
	Lusitana	179	83	117	379	3	-1	2	4
	Mexicana	194	71	79	344	3	—	—	3
	Toletana	124	115	133	372	3	10	12	25
	Socii Assist. Hispaniae	**1918**	**1302**	**1488**	**4708**	**40**	**19**	**50**	**109**
Angliae	Angliae	457	227	128	812	-2	7	—	5
	Belgica	745	463	189	1397	14	10	2	26
	Canadae Inferioris	161	174	106	441	11	—	2	13
	Canadae Sup. (Vicepr.)	42	87	22	151	3	7	4	14
	Hiberniae	236	181	63	480	-1	12	-1	10
	Socii Assist. Angliae	**1641**	**1132**	**508**	**3281**	**25**	**36**	**7**	**68**
Americae	Californiae	234	207	102	543	8	9	2	19
	Marylandiae-Neo Ebor.	524	689	128	1341	11	32	-1	42
	Missouriana	551	488	169	1208	19	23	-5	37
	Neo Aurelianensis	175	107	44	326	-1	1	3	3
	Socii Assist. Americae	**1484**	**1491**	**443**	**3418**	**37**	**65**	**-1**	**101**
	Universi ineunte a. 1926	**9262**	**5981**	**4326**	**19569**	**103**	**223**	**67**	**393**
	„ „ „ 1925	9159	5758	4259	19176				
	Augmentum	**103**	**223**	**67**	**393**				

1 Die 8 dec. 1925 Missio Brasiliae Centralis, a Prov. Romana separata, et Missio Brasiliae Meridionalis, a Prov. Germaniae Super. seiuncta, in Viceprovincias independentes erectae sunt.

PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU
INEUNTE ANNO 1926

MISSIONES		PROVINCIAE	Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
IN EUROPA						
Albania		Veneta	**17**	**4**	**18**	**39**
IN ASIA						
Armenia		Lugdunensis	4	—	2	6
Ceylon:	*Gallensis*	Belgica	24	8	6	38
"	*Trincomaliensis*	Campaniae	18	7	5	30
India:	*Bombayensis-Poonensis*	Aragoniae	66	25	26	117
"	*Calcuttensis*	Belgica	178	70	23	271
"	*Goana*	Lusitana	22	3	5	30
"	*Mangalorensis*	Veneta	56	18	17	91
"	*Patnensis*	Missouriana	10	3	1	14
"	*Trichinopolitana*	Tolosana	157	71	39	267
Iaponia:	*Univ. Tokyo, Hiroshima*	Germ. Inf.	23	3	2	28
Iava:	*Bataviae*	Neerlandica	64	24	10	98
Philippinae:	*Mindanao*	Aragoniae	36	—	26	62
Sinae:	*Ankingensis*	Legionensis	20	—	6	26
"	*Hwaisensis*	Taurinensis	18	1	3	22
"	*Nankinensis*	Franciae	128	25	35	188
"	*Shiu-hing* [1]	Lusitana	12	2	3	17
"	*Sien-hsien*	Campaniae	65	12	20	97
"	*Wu-hu*	Castellana	25	2	6	33
Syria		Lugdunensis	86	24	42	152
		Universi	**1012**	**298**	**277**	**1587**
IN AFRICA						
Aegyptus		Lugdunensis	32	—	10	42
Africa Merid.: *Zambesiana:*						
"	*Coloniae Capitis*	Angliae	17	1	11	29
"	*Rhodesiae Merid.*	Angliae	45	—	27	72
"	*Rhodesiae Septentr.*	Poloniae	8	—	8	16
Congo:	*Kwangensis*	Belgica	52	17	17	86
Madagascar:	*Fianarantsoa*	Campaniae	41	2	10	53
"	*Maurice et Réunion*	Tolosana	10	—	3	13
"	*Tananarivensis*	Tolosana	48	3	9	60
		Universi	**253**	**23**	**95**	**371**
IN AMERICA						
Inter aborigenes:	*Alaskana*	Californiae	20	—	11	31
"	*Caughnawagensis*	Canad. Inf.	3	—	3	6
"	*Dakotae Meridion.*	Missouriana	12	3	21	36
"	*Indicae Canad.*	Canad. Sup.	17	2	10	29
"	*Montium Saxos.*	Californiae	19	—	11	30
"	*Tarahumarensis*	Mexicana	14	1	13	28
Guiana Britann.		Angliae	18	—	—	18
Honduras Britann.:	*Belize*	Missouriana.	22	6	4	32
Iamaica		Maryl.-Neo E.	21	3	2	26
		Universi	**146**	**15**	**75**	**236**
IN OCEANIA						
Carolinae, Marianae et Marshall		Baetica	**15**	—	**15**	**30**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1926			**1443**	**340**	**480**	**2263**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1925			1422	298	480	2200
		Augmentum	**21**	**42**	—	**63**

(1) Olim dicebatur *Cantonensis*.

NUMERUS NOVITIORUM SOCIETATIS
INEUNTE ANNO 1926.

	Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
Prov. Romana	2	22	6	30
V. Prov. Brasiliae Centr.	1	9	—	10
Prov. Neapolitana	—	19	8	27
„ Sicula	1	20	10	31
„ Taurinensis	—	12	5	17
„ Veneta (Miss. Mangal.: 1 P., 1 S., 1 C.)	7	20	20	47
Assist. Italiae.	**11**	**102**	**49**	**162**
Prov. Austriae	2	13	8	23
V. Prov. Brasiliae Merid.	—	15	4	19
„ Cechoslovaca	—	14	13	27
Prov. Germaniae Inferioris	4	54	26	84
„ Germaniae Superioris	4	30	14	48
„ Hungariae.	2	16	10	28
V. Prov. Iugoslaviae	2	10	10	22
Prov. Neerlandica (Miss. Batav.: 5 S.).	1	43	7	51
„ Poloniae { (In Reg. Pol. Min.: 43 S., 14 C.) (Miss. Rumaen.: 1 P., 10 S., 3 C.).	1	92	36	129
Assist. Germaniae.	**16**	**287**	**128**	**431**
Prov. Campaniae { (Miss. Trincomal.: 1 P.). (Miss. Sien-hsien: 2 S., 1 C.).	1	41	4	46
„ Franciae (Miss. Nankin.: 5 S., 1 C.)	—	37	5	42
„ Lugdunensis.	—	35	6	41
„ Tolosana (Miss. Trichinop.: 16 S., 4 C.).	2	34	9	45
Assist. Galliae.	**3**	**147**	**24**	**174**
Prov. Aragoniae { (Miss. Bomb.-Poon.: 3 S.) (Miss. Philipp.: 6 S., 1 C.)	8	50	7	65
„ Argentino-Chilensis (Chile: 14 S., 7 C.).	1	36	12	49
„ Baetica (Miss. Aequat.: 3 S., 4 C.).	1	22	19	42
„ Castellana.	1	50	27	78
„ Columbiana.	—	28	7	35
„ Legionensis	2	42	19	63
„ Lusitana (Miss. Goan.: 1 S.).	—	22	14	36
„ Mexicana.	—	15	4	19
„ Toletana (Miss. Peruv.: 2 S.).	1	25	12	38
Assist. Hispaniae.	**14**	**290**	**121**	**425**
Prov. Angliae.	1	45	10	56
„ Belgica { (Miss. Calcutt.: 8 S.) (Miss. Gall.: 1 P.)	1	91	16	108
„ Canadae Inferioris	1	31	11	43
V. Prov. Canadae Superioris	—	21	4	25
Prov. Hiberniae (Miss. Austral.: 8 S., 1 C.).	—	52	8	60
Assist. Angliae.	**3**	**240**	**49**	**292**
Prov. Californiae.	—	54	7	61
„ Marylandiae-N.E. (In Reg. Nov. Ang.: 53 S., 2 C.)	2	151	5	158
„ Missouriana { (In Reg. Ohiens.: 48 S., 2 C). (Miss. Patn.: 2 S., 1 C.)	1	130	11	142
„ Neo Aurelianensis.	1	23	3	27
	4	**358**	**26**	**388**
Summa.	**51**	**1424**	**397**	**1872**
Numerabantur ineunte anno 1925	59	1340	382	1781
Augmentum.	— 8	+ 84	+ 15	+ 91

NUMERUS CONGREGATIONUM B. M. V. PRIMAE PRIMARIAE AGGREGATARUM anno 1925.

	Sacerdotes et Clerici	Viri	Iuvenes	Iuvenes et viri	Pueri	Studiosi et discipuli	Mulieres	Mulieres et Virgines	Virgines	Puellae	Studiosae et discipulae	Utriusque sexus	SUMMA TOTALIS
EUROPA													
Anglia						1	11		2	2		5	21
Austria			4		6	5	6		20	4		2	47
Belgium			4							6			10
Cechoslovachia	4	1	1	3	1	3	1	1	3	4	1	6	29
Gallia			1		1	4		26	29	14	1		76
Germania		10	35		1		1		118	6	3	2	176
Helvetia	2		4		1	1			8	2			18
Hibernia								3		4	1		8
Hispania	1	1	12		3	2	1	2	7	21	1	2	53
Hungaria		4	1	1	1	6	4	1	1	13			32
Italia	2	1	7	2		1	1	4	6	5		1	30
Iugoslavia		2	7		1	1	7		7	10			35
Lusitania			3				7		4	3	1	3	21
Neerlandia	3	1	12		1		1	4	1	9	1		33
Polonia		3	2			24	4	1	5	6	14		59
Rumaenia			2		1	1			4	1			9
Varia loca		1							2			3	6
AFRICA													
Aegyptus			1	1		1							3
Algeria						1			1				2
Madagascar							1						1
Varia loca			1										1
AMERICA													
Argent. et Chilum		1	1		2					1			5
Aequator									2	1		1	4
Brasilia	1		3	1		1			5	2	2		15
Canada			1		1	1		1	15	5			24
Columbia		2	1		4		1			2			10
Guatemala												1	1
Mexicum		1	5			1	1			6		1	15
Status Foederati	1	4	8		12	1	39	37	201	20		45	368
Venezuela	1								1				2
Varia loca									1				1
ASIA													
Ceylan						1							1
India		1	2		1	1	5			3		7	20
Java		1											1
Philippinae							1		2				3
Sinae						1							1
Syria		1	1				1			1			4
AUSTRALIA													
Varia loca					1		2	1		2			6
Summa	15	35	119	8	38	58	96	81	446	153	25	79	**1.151**

CATALOGUS
DEFUNCTORUM IN SOCIETATE IESU
A DIE 1 OCTOBRIS 1924 AD DIEM 30 SEPTEMBRIS 1925

---

1. C. Iosephus Assal, nat. Marji-Cartoun (Syria) 2 aug. 1868, ing. 10 feb. 1889, Coad. temp. form. 15 aug. 1899, ob. Le Caire (Aegyptus) 6 oct. 1924; Prov. Lugdunensis.

2. C. Henricus Sabaa, nat. Serampore (Ind. Angl.) 13 apr. 1868, ing. 20 iun. 1891, Coad. temp. form. 15 aug. 1901, ob. Calcutta 7 oct. 1924; Prov. Belgicae.

3. C. Ioannes Moncunill, nat. Manresa (Barcelona, Hispania) 18 mart. 1862, ing. 15 iul. 1882, Coad. temp. form. 15 aug. 1893, ob. Santiago (Chile) 10 oct. 1924; Prov. Argentino-Chilensis.

4. C. Gaspar I. Saeger, nat. Brach (Germania) 26 feb. 1866, ing. 30 mart. 1886, Coad. temp. form. 15 aug. 1896, ob. Florissant (Missouri) 16 oct. 1924; Prov. Missourianae.

5. P. Carolus Ferris, nat. Albal (Valencia) 8 dec. 1856, ing. 5 dec. 1893, Coad. spir. 2 feb. 1904, ob. Gandía (Valencia) 18 oct. 1924; Prov. Aragoniae.

6. P. Amedeus Alvarez, nat. Vega de Valcarce (León) 8 iun. 1892, ing. 10 feb. 1908, Schol. approb., ob. Cotocollao (Aequator) 18 oct. 1924; Prov. Legionensis.

7. P. Iulius Alarcón, nat. Córdoba 15 iun. 1843, ing. 23 apr. 1866, Prof. 4 vot. 15 aug. 1883, ob. Chamartín de la Rosa 20 oct. 1924; Prov. Baeticae.

8. P. Aloisius Boixadera, nat. Caserras (Barcelona) 20 apr. 1853, ing. 30 iun. 1871, Coad. spir. 2 feb. 1888, ob. Gerona 20 oct. 1924; Prov. Aragoniae.

9. P. Alfredus Lévêque, nat. Trocy (Seine-et-Marne) 15 apr. 1852, ing. 31 iul. 1877, Prof. 4 vot. 2 feb. 1894, ob. Song-kaong (Chine) 21 oct. 1924; Prov. Franciae.

10. P. Iosephus M. Beltrán, nat. Valencia 18 mart. 1863, ing. 26 iul. 1879, Coad. spir. 2 feb. 1899, ob Orihuela (Alicante) 21 oct. 1924; Prov. Aragoniae.

11. C. Carolus B. Ackermann, nat. Deutschleipe (Germania) 4 mart. 1856, ing. 27 maii 1884, Coad. temp. form. 15 aug. 1894, ob. Innsbruk 26 oct. 1924; Prov. Austriae.

12. P. Gulielmus Holtgreve, nat. Hildesheim 19 oct. 1854, ing. 6 oct. 1886, Coad. spir. 2 feb. 1891, ob. São Sebastião (Brasilia) 29 oct. 1924; Prov. Germaniae Superioris.

13. P. Gustavus Cerceau, nat. La Ferté-Bernard (Sarthe) 24 sept. 1842, ing. 3 nov. 1865, Coad. spir. 2 feb. 1883, ob. Paris 30 oct. 1924; Prov. Franciae

14. P. Iosephus I. Himmel, nat. Annapolis (Maryland) 16 ian. 1855, ing.

24 nov. 1873, Coad. spir. 2 feb. 1891, ob. Georgetown (District of Columbia) 3 nov. 1924; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

15. P. Anscharius Steyaert, nat. Eecloo (Flandr. orient.) 20 mart. 1869, ing. 26 sept. 1887, Coad. spir. 2 feb. 1904, ob. Gand 3 nov. 1924; Prov. Belgicae.

16. P. Stephanus M. Lasquíbar, nat. Tolosa (Guipúzcoa) 26 dec. 1854, ing. 5 ian. 1882, Coad. spir. 2 feb. 1894, ob. Bilbao 4 nov. 1924; Prov. Castellanae.

17. C. Ioannes Ribolleda, nat. San Martín de Via (Barcelona, Hispania) 7 sept. 1861, ing. 1 feb. 1880, Coad. temp. form. 2 feb. 1892, ob. Buenos Aires 4 nov. 1924; Prov. Argentino-Chilensis.

18. C. Moyses Ruiz, nat. San Miguel (Nuble) 7 feb. 1887, ing. 7 iun. 1908, Coad. temp. form. 15 aug. 1918, ob. Córdoba 4 nov. 1924; Prov. Argentino-Chilensis.

19. P. Aegidius Sánchez, nat. Sauce (Canelones) 1 sept. 1845, ing. 25 feb. 1865, Coad. spir. 15 aug. 1880, ob. Córdoba 6 nov. 1924; Prov. Argentino-Chilensis.

20. P. Iosephus E. Carreras, nat. Barcelona 14 mart. 1864, ing. 28 apr. 1888, Coad. spir. 2 feb. 1903, ob. Palma (Baleares) 6 nov. 1924; Prov. Aragoniae.

21. P. Iosephus Droste, nat. Gelsenkirchen (Westfalia) 18 iun. 1858, ing. 1 oct. 1877, Prof. 4 vot. 2 feb. 1895, ob. Kopenhagen (Dania) 7 nov. 1924; Prov. Germaniae Superioris.

22. P. Aloisius Cappello, nat. Roma 7 iul. 1849, ing. 4 nov. 1860, Coad. spir. 15 aug. 1879, ob. Roma 8 nov. 1924; Prov. Romanae.

23. C. Carolus Hamel, nat. Digulleville (Manche) 17 aug. 1852, ing. 24 sept. 1877, Coad. temp. form. 2 feb. 1888, ob. Paris 12 nov. 1824; Prov. Franciae.

24. P. Aemilianus Plantier, nat. Alixan (Drôme) 3 oct. 1846, ing. 29 sept. 1863, Prof. 4 vot. 15 aug. 1882, ob. Lyon 18 nov. 1924; Prov. Lugdunensis.

25. P. Iosephus Baizini, nat. Bergamo 22 sept. 1859; ing. 18 mart. 1876, Prof. 4 vot. 2 feb. 1894, ob. Mangalore (India) 20 nov. 1924; Prov. Venetae.

26. P. Gulielmus Behme, nat. Dormeke (Westfalia) 2 maii 1869, ing. 28 sept. 1889, Coad. spir. 2 feb. 1905, ob. Kö igsberg-Ponarth 21 nov. 1924; Prov. Germaniae Inferioris.

27. P. Franciscus Durante, nat. Foggia (Italia) 19 ian. 1843, ing. 1 ian. 1859, Prof. 4 vot. 8 dec. 1876, ob. Old Albuquerque (New Mexico) 22 nov. 1924; Prov. Neo Aurelianensis.

28. P. Carolus Zehengruber, nat. Graz 21 feb. 1854, ing. 7 aug. 1873, Coad. spir. 15 aug. 1889, ob. Steyr 23 nov. 1924; Prov. Austriae.

29. P. Iosephus P. Gorayeb, nat. Damour (Syria) 25 nov. 1888, ing. 14 aug. 1907, Schol. approb., ob. Poughkeepsie (New York) 25 nov. 1924; Prov. Marylandiae Neo-Eboracensis.

30. P. Angelus Tosco, nat. Chieri 2 aug. 1864, ing. 5 nov. 1888, Prof. 4 vot. 2 feb. 1905, ob. Gozzano (Novara) 27 nov. 1924; Prov. Taurinensis.

31. C. Iosephus Urdapilleta, nat. Régil (Guipúzcoa) 27 dec. 1840,, ing. 8 dec. 1858, Coad. temp. form. 2 feb. 1871, ob. Loyola (Guipúzcoa) 27 nov. 1924; Prov. Castellanae.

32. P. Carolus Drakes, nat. Market Rasen (Lincolnshire) 29 maii 1849, ing. 7 sept. 1867, Coad. spir. 2 feb. 1886, ob. Rhyl (Flintshire) 28 nov. 1924; Prov. Angliae.

33. C. Leopoldus Daoust, nat. Beauharnois (Québec) 30 mar. 1864, ing. 24 maii 1888, Coad. temp. form. 15 aug. 1898, ob. Québec 1 dec. 1924; Prov. Canadae Inferioris.

34. C. Stephanus Erdélyi, nat. Kis-Kun-Télegyháza (Hungaria) 22 oct. 1881, ing. 10 nov. 1906, Coad. temp. form. 15 aug. 1920, ob. Satumare 3 dec. 1924; Prov. Hungariae.

35. P. Alfonsus Cerasoli, nat. Monticelli (Roma) 8 aug. 1854, ing. 1 feb. 1871, Prof. 4 vot. 2 feb. 1888, ob. Firenze 4 dec. 1924; Prov. Romanae.

36. P. Caietanus Romano, nat. Regalbuto (Catania) 31 aug. 1850, ing. 28 ian. 1868, Prof. 4 vot. 2 feb. 1888, ob. Sira (Graecia) 5 dec. 1924; Prov. Siculae.

37. P. Iosephus I. Prendergast, nat. Clinton (Massachussetts) 2 feb. 1856, ing. 4 aug. 1877, Coad. spir. 3 feb. 1896, ob. Worcester (Massachusetts) 7 dec. 1924; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

38. P. Michael P. Hill, nat. Philadelphia (Pennsylvania) 4 dec. 1855, ing. 12 ian. 1874, Prof. 4 vot. 15 aug. 1893, ob. Philadelphia (Pennsylvania) 7 dec. 1924; Prov. Marylandiae - Neo Eboracensis.

39. S. Iosephus M. Sanpons, nat. Reus (Tarragona) 19 mart. 1899, ing. 2 mart. 1924, Nov. schol., ob. Gandía (Valencia) 9 dec. 1924; Prov. Aragoniae.

40. C. Vincentius Markiewicz, nat. Dynów (Polonia Minor) 19 iul. 1888, ing. 4 sept. 1906, Coad. temp. form. 15 aug. 1918, ob. Chingombe (Rhodesia) 11 dec. 1924; Prov. Poloniae.

41. P. Henricus Membrado, nat. Castelserás (Teruel) 1 apr. 1844, ing. 26 oct. 1873, Prof. 4 vot. 2 feb. 1887, ob. Zaragoza 14 dec. 1924; Prov. Aragoniae.

42. S. Aloisius Delnaud, nat. Martel (Lot) 4 apr. 1896, ing. 1 oct. 1915. Schol. approb., ob. Martel 18 dec 1924; Prov. Tolosanae.

43. C. Iacobus Lopatniuk, nat. Mosciska 21 oct. 1863, ing. 5 iul. 1893, Coad. temp. form. 15 aug. 1903, ob. Chyrów 19 dec. 1924; Prov. Poloniae.

44. P. Otto Ehrle, nat. Isny (Suevia) 13 feb. 1847, ing. 11 oct. 1862, Coad. spir. 15 aug. 1881, ob. Poona (India) 22 dec. 1924; Prov. Germaniae Superioris.

45. P. Carolus M. Weisenhorn, nat. Quincy (Illinois) 19 feb. 1887, ing. 1 sept. 1905, Schol. approb., ob. Colorado Springs (Colorado) 22 dec. 1924; Prov. Missourianae.

46. P. Cornelius Leeuwe, nat. Amsterdam (Hollandia) 3 iun. 1878, ing. 3 sept. 1900, Coad. spir. 15 aug. 1915, ob. El Paso (Texas) 23 dec. 1924; Prov. Neo Aurelianensis.

47. P. Iosephus McCarty, nat. Norwood (Ontario) 28 mart. 1863, ing. 24 dec. 1886, Coad. spir. 15 aug. 1904, ob. Montréal 24 dec. 1924; Viceprov. Canadae Superioris.

48. C. Iosephus dos Santos, nat. Ceiroquinho-Faião (Coimbra) 9 dec. 1837, ing. 2 feb. 1868, Coad. temp. form. 15 aug. 1879, ob. La Guardia (Hispania) 27 dec. 1924; Prov. Lusitanae.

49. P. Iosephus Les Enfant, nat. Thoisy la Bergère (Côte d'Or) 22 iul. 1846, ing. 9 oct. 1891, Coad. spir. 15 aug. 1903, ob. Lyon 29 dec. 1924; Prov. Lugdunensis.

50. C. Ioannes Van Heeswyk, nat. Luyksgestel (Hollandia) 20 apr. 1860, ing. 10 mart. 1894, Coad. temp. form. 15 aug. 1905, ob. Louvain 30 dec. 1924; Prov. Belgicae.

51. P. Natalis Piron, nat. Celles (Hainaut) 23 dec. 1871, ing. 23 sept. 1890, Prof. 4 vot. 2 feb. 1907, ob. Louvain 31 dec. 1924; Prov. Belgicae.

52. C. Gulielmus Jung, nat. Vendersheim (Hassia) 9 oct. 1837, ing. 30 iul. 1859, Coad. temp. form. 2 feb. 1870, ob. Exaten (Hollandia) 2 ian. 1925; Prov. Germaniae Superioris.

53. P. Petrus Chandlery, nat. Preston (Lancashire) 14 apr. 1846, ing. 7 sept. 1863, Prof. 4 vot. 15 aug. 1882, ob. Bothwell (Lanarkshire, Scotia) 3 ian. 1925; Prov. Angliae.

54. P. Gulielmus R. Cullen, nat. Brooklyn (New York) 28 oct. 1885, ing. 14 aug. 1905, Coad. spir. 2 feb. 1924, ob. Georgetown (District of Columbia) 5 ian. 1925; Prov. Marylandiae Neo Eboracensis.

55. P. Achilles Schmidt, nat. Magenta (Italia) 13 feb. 1859, ing. 15 ian. 1879, Coad. spir. 2 feb. 1896, ob. Zagreb 6 ian. 1925; Viceprov. Iugoslaviae.

56. P. Gerardus Tholen, nat. Herzlake (Hannover) 13 apr. 1852, ing. 30 apr. 1875, Coad. spir. 3 feb. 1890, ob. Vught 7 ian. 1925; Prov. Neerlandicae.

57. P. Carolus Héraulle, nat. Châlons sur-Marne (Marne) 4 oct. 1865, ing. 17 apr. 1888, Coad. spir. 2 feb. 1904, ob. Tamingfu (Chine) 8 ian. 1925; Prov. Campaniae.

58. P. Iacobus T. Casey, nat. Kilmallock (Co. Limerick, Hibernia) 12 feb. 1847, ing. 7 sep. 1866, Coad. spir. 15 aug. 1886, ob. Philadelphia (Pennsylvania) 10 ian. 1924; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

59. P. Henricus Máiner, nat. Buenos Aires 11 sept. 1888, ing. 13 oct. 1904, Coad. spir. 2 feb. 1923, ob. Mar del Plata 12 ian. 1925; Prov. Argentino-Chilensis.

60. C. Iosephus Gobert, nat. Molinfaing (Prov. Luxemb.) 16 maii 1842, ing. 12 nov. 1880, Coad. temp. form. 15 aug. 1891, ob. Tronchiennes (Flandr. orient.) 15 ian. 1925; Prov. Belgicae.

61. C. Ignatius Sbath, nat. Alep (Syria. 21 iun. 1857, ing. 7 sept. 1876, Coad) temp. form. 15 aug. 1887, ob. Beyrouth (Syria) 17 ian. 1925; Prov. Lugdunensis.

62. P. Franciscus X. Twellmeyer, nat. Yazoo City (Mississippi) 21 iun. 1866, ing. 30 iul. 1885, Prof. 4 vot. 15 aug. 1907, ob. New Orleans (Louisiana) 18 ian. 1925; Prov. Neo Aurelianensis.

63. P. Thomas C. McKeogh, nat. Detroit (Michigan) 26 iun. 1860, ing. 5 oct. 1883, Coad. spir. 15 aug. 1901, ob. Detroit (Michigan) 18 ian. 1925; Prov. Missourianae.

64. C. Petrus Lévêque, nat. Saint-Arsène (Québec) 3 mart. 1850, ing. 29 oct. 1866, Coad. temp. form. 15 aug. 1880, ob. Sault-au-Récollet 18 ian. 1925; Prov. Canadae Inferioris.

65. S. Gualterus W. Claffey, nat. Trenton (New Jersey) 1 feb. 1893, ing. 30 iul. 1915, Schol. approb., ob. Woodstock (Maryland) 20 ian. 1925; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

66. C. Augustinus Cabanell, nat. Sauveterre (Tarn) 26 ian. 1848, ing. 32 ian. 1873, Coad. temp. form. 15 aug. 1883, ob. Toulouse 21 ian. 1925; Prov. Tolosanae.

67. P. Ignatius Maguire, nat. Preston (Lancashire) 28 ian. 1864, ing. 7 sept. 1883, Coad. spir. 3 feb. 1902, ob Preston (Lancashire) 23 ian. 1925; Prov. Angliae.

68. C. Gabriel Gozalo Llorente, nat. Bernardos (Segovia) 18 mart. 1862, ing. 3 maii 1883, Coad. temp. form. 8 sept. 1893, ob. Habana (Cuba) 23 ian. 1925; Prov. Castellanae.

69. P. Ludovicus Pajot, nat. Lille (Nord) 11 sept. 1890, ing. 31 oct. 1907, Coad. spir. 2 feb. 1924, ob. Liège (Belgium) 25 ian. 1925; Prov. Campaniae.

70. P. Franciscus X. Schwärzler, nat. Schwarzach (Voralberg) 3 aug. 1840, ing. 14 sept. 1858, Prof. 4 vot. 2 feb. 1876, ob. Wien-Lainz 26 ian. 1925; Prov. Austriae.

71. P. Saturninus Gutiérrez, nat. Ayuela (Palencia) 4 iun. 1871, ing. 6 oct. 1891, Coad. spir. 15 aug. 1906, ob. Valladolid 26 ian. 1925; Prov. Legionensis.

72. P. Augustus Crey, nat. St.-Martin-de Belleville (Savoie) 19 ian. 1850, ing. 22 sept. 1869 Prof. 4 vot. 2 feb. 1886, ob. Aix en Provence 28 ian. 1925; Prov. Lugdunensis.

73. P. Ludovicus de Mateo, nat. Madrid 25 aug. 1856, ing. 1 nov. 1871, Coad. spir. 2 feb. 1901, ob. El Palo (Málaga) 28 ian. 1925; Prov. Toletanae.

74. P. Iosephus Niedermayr, nat. in Asten (Austria) 19 mart. 1845, ing. 12 sept. 1862, Coad. spir. 15 aug. 1875, ob. St. Andrä 29 ian. 1925; Prov. Austriae.

75. P. Iosephus Ducoux, nat. Montmorillon (Vienne) 25 maii 1871, ing. 9 oct. 1890, Coad. spir. 2 feb. 1908, ob. Changhai (Chine) 29 ian. 1925; Prov. Franciae.

76. P. Donaldus McKillop, nat. in Victoria occident. (Australia) 27 apr. 1853, ing 7 iun. 1872, Coad. spir. 15 aug. 1887, ob. Adelaide 2 feb. 1925; Prov. Hiberniae.

77. S. Ludovicus H. McManamy, nat. Brooklyn (New York) 20 iun. 1898, ing 30 iul. 1916, Schol. approb., ob. New York 2 feb. 1925; Prov. Marylandiae Neo-Eboracensis.

78. P. Alfredus Deschamps, nat. Limoges 15 iul. 1833, ing. 30 nov. 1853, Prof. 4 vot. 2 feb. 1871, ob. Toulouse 4 feb. 1925; Prov. Tolosanae.

79. C. Michael Llull, nat. Palma (Baleares) 12 iun. 1856, ing. 7 iul. 1887, Coad. temp. form. 12 mart. 1898, ob. Joló (Mindanao, Philippinae) 6 feb. 1925; Prov. Aragoniae.

80. P. Stephanus Charel, nat. Yssingeaux (Haute-Loire) 1 maii 1855, ing. 5 sept. 1874, Prof. 4 vot. 2 feb. 1891, ob. Tananarive (Madagascar) 8 feb. 1925; Prov. Tolosanae.

81. P. Ioannes A. Daly, nat. Dunmore (Pennsylvania) 12 aug. 1888, ing. 26 sept. 1911, Schol. approb., ob. Baltimore (Maryland) 8 feb. 1925; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

82. P. Ioannes Tamás, nat. Nižny Medzev (Slovachia) 6 ian. 1848, ing. 13 sept. 1866, Coad. spir. 2 feb. 1884, ob. Trnava (Slovachia) 9 feb. 1925; Viceprov. Cechoslovacae.

83. P. Ludovicus Baille, nat. Besançon 19 sept. 1858, ing. 14 oct. 1876, Prof. 4 vot. 2 feb. 1895, ob. Lyon 10 feb. 1925; Prov. Lugdunensis.

84. P. Ioannes B. Thoret, nat. Estaires (Nord) 18 dec. 1864, ing. 3 oct. 1894, Coad. spir. 30 iun. 1905, ob. Tientsin (Chine) 10 feb. 1925; Prov. Campaniae.

85. P. Eduardus Gaffney, nat. Meade (Hibernia) 18 iul. 1850, ing. 24 oct. 1870, Coad. spir. 2 feb. 1890, ob. Shrevepor (Louisiana) 10 feb. 1925; Prov. Neo Aurelianensis.

86. P. Franciscus Celli, nat. S. Pietro Apostolo (Catanzaro) 6 aug. 1887, ing. 25 sept. 1902, Prof. 4 vot. 2 feb. 1922, ob. Napoli 11 feb. 1925; Prov. Neapolitanae.

87. C. Ioannes M. Chabanolle, nat. Versillac (Haute-Loire) 8 feb. 1870, ing. 9 maii 1892, Coad. temp. form. 2 feb. 1903, ob. Madura 11 feb. 1925; Prov. Tolosanae.

88. P. Nicanor Palomino, nat. Yaque (Peruvia) 1 nov. 1851, ing. 25 mar. 1881, Prof. 4 vot. 8 sept. 1892, ob. Arequipa (Peruvia) 12 feb. 1925; Prov. Toletanae.

89. P. Ioannes Moore, nat. Tullamore (King's County, Hibernia) 24 oct. 1835, ing. 18 ian. 1857, Prof. 4 vot. 2 feb. 1874, ob. Roehampton (London) 13 feb. 1925; Prov. Angliae.

90. P. Gulielmus MacMahon, nat. Birkenhead (Cheshire) 27 apr. 1876, ing. 7 sept. 1894, Prof. 4 vot. 2 feb. 1914; ob. Hampstead (London) 13 feb. 1925; Prov. Angliae.

91. P. Benedictus I. Smith, nat. Conewago (Pennsylvania) 10 oct. 1875, ing. 14 aug. 1894, Coad. spir. 2 feb. 1914, ob. Georgetown (District of Columbia) 13 feb. 1925; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

92. C. Franciscus Xaverius Sartre, nat. St. Denis (Lozère) 15 aug. 1893, ing. 12 nov. 1909, Coad. temp. approb., ob. St. Paul-en-Jarret (Loire) 15 feb. 1925; Prov. Lugdunensis.

93. P. Fridericus Cervós, nat. Seo de Urgel (Lérida) 22 feb. 1844, ing. 3 oct. 1862, Coad. spir. 15 aug. 1877, ob. Gandía (Valencia) 16 feb. 1925; Prov. Aragoniae.

94. P. Gulielmus A. Lonergan, nat. Kilkenny (Hibernia) 18 iun. 1864, ing. 7 sept. 1886, Coad. spir. 15 aug. 1903, ob. Santa Barbara (California) 16 feb. 1925; Prov. Missourianae.

95. C. Augustinus Figuerola, nat. Balaguer (Lérida, Hispania) 17 iul. 1842, ing. 22 ian. 1865, Coad. temp. form. 18 aug. 1881, ob. Montevideo (Uruguay) 16 feb. 1925; Prov. Argentino-Chilensis.

96. S. Nicolaus G. Stahl, nat. Buffalo (New York) 10 aug. 1901, ing. 14 aug. 1918, Schol. approb., ob. Buffalo (New York) 18 feb. 1925 Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

97. P. Gulielmus R. Cowardin, nat. Richmond (Virginia) 3 dec. 1849, ing. 27 sept. 1870, Coad. spir. 15 aug. 1886, ob. Georgetown (District of Columbia) 20 feb. 1925; Prov. Marylandiae - Neo Eboracensis.

98. P. Antonius P. Schlosser, nat. Züls (Silesia) 20 apr. 1836, ing. 22 oct. 1859, Coad. spir. 2 feb. 1872, ob. St. Andrä 21 feb. 1925; Prov. Austriae.

99. P. Oswaldus Miller, nat. Zug Baar (Helvetia) 22 nov. 1862, ing. 28 sept. 1881, Coad. spir. 2 feb. 1898, ob. San José (California) 21 feb. 1925; Prov. Californiae.

100. C. Iacobus T. O'Sullivan, nat. Portumna (Co. Galway, Hibernia) 9 maii 1854, ing. 9 sept. 1878, Coad. temp. form. 15 aug. 1889, ob. Worcester (Massachusetts) 21 feb. 1925; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

101. C. Aloisius Antuoni, nat. Teano (Caserta) 13 nov. 1873, ing. 17 dec. 1894, Coad. temp. form. 15 aug. 1911, ob. Roma 22 feb. 1925; Prov. Romanae.

102. P. Uldaricus Heinzle, nat. Götzis (Austria) 15 oct. 1848, ing. 30 sept. 1867, Prof. 4 vot. 2 feb. 1885, ob. Tisis 23 feb. 1952; Prov. Germaniae Superioris.

103. C. Eduardus Hazeland, nat. Melksham (Wiltshire) 11 iul. 1846, ing. 26 apr. 1885, Coad. temp. form. 15 aug. 1895, ob. Stonyhurst (Lancashire) 26 feb. 1925; Prov. Angliae.

104. P. Leonardus Franke, nat. s'Gravenhage 29 iun. 1878, ing. 26 sept. 1897, Prof. 4 vot. 2 feb. 1915, ob. Haarlem 27 feb. 1925; Prov. Neerlandicae.

105. P. Gulielmus Dekker, nat. Antwerpen 9 maii 1853, ing. 26 sept. 1871, Coad. spir. 2 feb. 1889, ob. Oudenbosch 27 feb. 1925; Prov. Neerlandicae.

106. P. Marcellus Nivard, nat. Issoudun (Indre) 20 iul. 1873, ing. 28 oct. 1893, Prof. 4 vot. 2 feb. 1911, ob. Jersey (Anglia) 28 feb. 1925; Prov. Franciae.

107. C. Franciscus Alves, nat. S. André de Sezelhe-Montalegre (Tras-os-Montes) 2 aug. 1853, ing. 27 aug. 1895, Coad. temp. form. 2 feb. 1906, ob. La Guardia (Hispania) 28 feb. 1925; Prov. Lusitanae.

108. P. Alfonsus Arrivas, nat. Valguarnera (Caltanissetta) 18 sept. 1840, ing. 1 nov. 1856, Coad. spir. 2 feb. 1871, ob. Acireale (Catania) 1 mart. 1925; Prov. Siculae.

109. C. Iosephus Lamsfus, nat. Luxembourg 14 iun. 1848, ing. 31 maii 1885, Coad. temp form. 15 aug. 1895, ob. Dublin 2 mart. 1925; Prov. Hiberniae.

